DOCTISSIMORUM INTERPRETUM
COMMENTARIA
IN
M. TULLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
P. SULLA

POST GASPAR. GARATONIUM DENUO EDIDIT. INTEGRAS ERNESTII. SELECTAS BECKII. SCHUETZII WOLFFII. MATTHIAE SUASQUE ADNOTATIONES ADIECIT

CAROLUS HENRICUS FROTSCHER

PHIL. DR. ET PROF. E. D. IN UNIVERS. LITT. LIPSIENSI SCHOLAE NICOL. CONRECTOR ET BIBLIOTHECAE SENAT. PRAEFECT. II.

ACCEDUNT

PRAETER INDICES NECESSARIOS

SCHOLIA AMBROSIANA CUM INTEGRIS ANG. MAII SELECTISQUE ORELLII ATQUE EDITORIS ADNOTATIONIBUS

LIPSIAE 1832.

SUMPTUS FECIT ET VENUMDAT

GOESCHENIANA LIBRARIA

VIRO MAGNIFICO

ILLUSTRI SPLENDIDISSIMO

AMPLISSIMO DOCTISSIMO

CHRIST. ADOLPHO DEUTRICH

IURIS UTRIUSQ. DOCTORI. CIVITATIS LIPS. CONSULI
ORD. SAXON. VIRTUT. CIV. EQUITI
SCHOLAE NICOLAITANAE CURATORI

ET

VIRO IURIUMCONSULTISSIMO

AMPLISSIMO DOCTISSIMO

IAC. FRIDER. GUIL. MUELLERO

SENATUS LIPSIENSIS PRINCIPI
SCHOLAE THOMANAE CURATORI

PATRONIS PIE COLENDIS

HUNC QUALEMCUNQUE LIBELLUM

PUBLICUM OBSERVANTIAE ET GRATI ANIMI

MONUMENTUM EXSTARE VOLUIT

CAROLUS HENRICUS FROTSCHER

COMMENTARIA

IN

M. TULLII CICERONIS

PRO [1])

P. SULLA

ORATIONEM

Argumentum P. Manutii.

P. Cornelius Sulla, L. Sullae Dictatoris propinquus, Consul designatus cum P. Autronio Paeto, damnatus erat cum collega de ambitu, et in eorum locum accusatores L. Cotta et L. Torquatus legis beneficio successerant. [2]) Eumdem Sullam accusavit aliquanto post de coniuratione [3]) L. Torquatus filius. Defendit Hortensius primum, deinde Cicero; absolutum esse, satis ex eo constat, quia Gabinium accusavit; qua de re sic epist. 3. lib. III. ad Q. Fratr. [§. 2.] *Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, subscribente privigno Memmio, fratre Caecilio, Sulla filio.* Hic est P. Sulla, a quo reo sestertium vicies empturus Cicero Palatinam domum mutuo accepit: ut ait Gell. lib. XII. cap. 12. De eodem lib. II. Offic. [cap. 8. §. 29.] *Nec vero umquam bellorum civilium semen et causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam et meminerint et sperabunt, quam P. Sulla cum vibrasset, Dictatore propinquo suo, idem sexto et tricesimo anno post a sceleratiore hasta eadem non recessit.* Mortem eius ep. 10. lib. IX. [§. 3.] Cicero

Dolabellae significat his verbis: *Te tamen hoc scire volo, vehementer populum sollicitum fuisse de P. Sullae morte, antequam certum scierit; nunc quaerere desierunt, quomodo perierit; satis putant se scire, quod sciunt; ego cetera qui animo aequo fero, unum vereor, ne hasta Caesaris refrixerit.* et in epist. ad Cassium, lib. XV. [ep. 17. §. 2.] *Nos hic P. Sullam patrem mortuum habebamus; alii a latronibus, alii cruditate dicebant; populus non curabat; combustum enim esse constabat; hoc tu pro sapientia tua feres aequo animo; quamquam πρόσωπον πόλεως amisimus. Caesarem putabant moleste laturum, verentem ne hasta refrixisset.* Habita videtur oratio anno proximo post Ciceronem Consulem; quod illa verba significant orationis extremae [cap. 33. §. 92.] *Severitatem iudiciorum, quae per hos menses in homines audacissimos facta est, lenitate ac misericordia mitigate.* nam a coniuratorum nece, id est a mense ultimo consulatus Ciceronis, longius distare accusationem ceterorum verisimile non est. Suffragari videntur huic opinioni illa quoque verba, a Cicerone in accusatorem Sullae Torquatum coniecta [cap. 10. §. 31.] *Nihil est tam alienum ab eo, qui alterum coniurationis accuset, quam videri coniuratorum poenam mortemque lugere; quod cum is Tribunus pl. facit, qui unus videtur ex illis ad lugendos coniuratos relictus, nec mirum est: te, si quid eiusmodi facis, vehementer miror.* Quibus verbis paullo ante coniuratos periisse cognoscitur. 4)

1) *Pro P. Sulla.* Victor. et Lamb. editio scribunt *Sylla.* Sed aliae, ut et nummi et inscriptiones *P. Sulla.* Et sic quoque ratio postulat. Non enim est haec vox a *Sibylla*, ut Plutarchus aliique volunt: sed a *Sura* est ὑποκοριστικὸν *Sulla*, quae mei doctoris I. F. Gronovii est sententia. Graevius. — Quod si ego neque a Victorio, et plerisque Italis, neque a Lambino, et Gallis omnibus volui dissentire, ignoscant alii, quibus *Sulla* magis placet. Atque ut hoc agam paucis: curnam ratio *Syllam* recusat, *Sullam* postulat? quoniam, ut censet I. F. Gronovius, a *Sura* di-

minutivum est *Sulla*. At virum habeo non minus eruditum, quem opponam, G. I. Vossium in Etymol. v. *Sibylla:* habeo Plutarchum, qui scripsit Σύλλας. Is et saepe cum Romanis, et Romae diu fuerat; sciebat Latine, et monumenta rerum Romanarum multa perlegerat. Si in hoc vocabulo prior syllaba eadem erat, quae prima est in *Surena*, in *Sulpicio*, cur non scripsit Σούλλας, ut scripsit Σουρήνας, et Σουλπίκιος? Dixerint antiquarii *Sullam*, ut *lacrumas*, *Burrum*, *Bruges*. Tamen et *lacrymas*, inquit Cic. Orat. 48., et *Phryges*, et *Pyrrhum* (adde et *Syllam*) aurium causa dicimus. Olivet. — Non Plutarchus, sed Macrobius I. Saturn. 17. a *Sibylla* nomen *Sullae* deductum narrat. Ei credit Sigon. ad Liv. XXV. 12. et Pighius ad an. DXLI. licet *Sullam* ambo perscribant. Sed eum refutavit iam pridem Xylander ad Plut. Coriol. cap. XI. Ipse Plutarchus Graecorum nugas referre videtur in Sull. cap. II. iisque reiectis alias Vossius de suo substituit, Facciolato probante. Verum nihil aliud compertum habeo, nisi a quadam corporis nota hoc inditum fuisse nomen, ut ipse tradit Plutarch. in Cor. l. c. et in Mar. cap. I. auctorque certissimus Quinctil. I. O. I. 4. [§. 27.] ubi Gronovius suam illam derivationem protulit, probabilem certe, atque ab summis adoptatam viris, quos inter Cortius est ad Sallust. Catil. V. 6. In ipso Fabio legerim cum Salmasio ad Vopisc. Carin. 20. ed. Hack. Tom. II. pag. 862. *ubi erit aliud secretius, Sullae, Burri etc.* ex MSo Bongarsii, et Barberino, aliis etiam faventibus. Festum corrupit Turnebus, eumque secutus Rob. Titius I. Loc. Controv. 4. ut Sullas a *fusco colore* deducerent: sed Festum v. *Ravillae* Scaliger vindicavit. Iam quid erit de Charisio dicendum, qui pag. 85. ed. Putsch. idem nomen a *flavo et comto capillo* derivat? Sed mittamus Etymologos: quid enim vana et incerta sectemur, cum *Sullam* scribi oportere, quacumque demum de causa, omnino constet? Ita enim diserte Fasti Capitolini n. XX. ed. Piranes. ita lapides a Cellario aliisque laudati, ita nummi denique apud Ursin. et recentiores. Haec potissimum testimonia Sigonius, Graevius, Cortius aliique innumeri sunt secuti. Adde, sic habere lateres in

Sullae ipsius Tusculano repertos, de quibus diximus ad III. Agr. 2. et Assem vetustum apud Cl. Froelich. ad num. Urb. pag. 62. Nihili haec facit Olivetus: quae tamen apud omnes fidem facere certissimam debent: ut iam non quaeramus, quidnam Graeci secuti sint, quamvis eos medium litterae illius sonum, non ubique a Latinis servatum, a Graecis autem perpetuo in sua *Υ*, secutos fuisse non absurde possemus dicere. Huic sono varietates MSorum in hac voce ac similibus tribuit Cortius l. c. Inepte atque omnino extra rem Dausqueius olim ipsum illum Tullii locum Fastis opposuit, a quo suam confirmari sententiam Olivetus existimavit. GARATONIUS.

2) Vide Ferrat. ad cap. 40. pro Murena. GAR.

3) Crimen *coniurationis* ad quaestionem de maiestate refert Manutius, ea Tullii verba explicans cap. 2. [§. 5.] *quod ego, qui hoc genere quaestionis defenderim neminem, P. Sullae adsim.* Perperam: qui enim eo loco commemorantur, coniurationis accusati damnatique antea, et P. Sulla denique causam lege maiestatis certum est non dixisse. Ii enim maiestatis lege tenebantur, qui hostium duces, accepta pecunia, liberaverant, ut C. Verres, ex I. Accus. 5. [§. 12.] qui legiones sollicitaverant, ut C. Stalenus, ex cap. 36. [§. 99.] pro Cluent. qui exercitum hostibus prodiderant, ut C. Antonius apud Dionem; qui in alienam provinciam contra S. C. et legem populi legiones duxerant, ut A. Gabinius, ex ep. ad Q. Fratr. III. 1. et seqq. qui tribuno plebis intercedenti non obtemperaverant, ut C. Cornelius apud Asconium. Quid horum admiserant ii, qui coniurasse cum Catilina dicebantur? ut proinde accusari possent lege Cornelia de maiestate, quae a Cicerone commemoratur in Pis. 21. [§. 50.] At pro Coel. 1. [§. 1.] lex Lutatia de vi publica ita describitur: *Quae de seditiosis consceleratisque civibus, qui armati Senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, remp. oppugnarint, quotidie quaeri iubeat.* Haec omnia aut fecisse coniuratos, aut facere voluisse, nemo negaverit. Cur vero, quasi in re dubia, adhuc haeremus? Ibid. cap. 29. [§. 70.] haec leguntur: *De vi quaeritis: quae lex ad imperium, ad*

maiestatem, ad statum patriae, ad salutem omnium pertinet: quam legem Q. Catulus, armata dissensione civium, reip. paene extremis temporibus tulit: quaeque lex, sedata illa flamma Consulatus mei, fumantis reliquias coniurationis extinxit. Post sumtum de quinque coniuratis, me Consule, supplicium, reliqui anno sequenti, lege Lutatia de vi damnati, in exsilium missi sunt. FERRATIUS.

4) Si qua monumento illi fides habenda esset, quod Actorum diurnorum nomine vulgatum est, et a Wesselingio falsi convictum, de quo diximus ad I. in Verr. 46. ex eo plane constaret, hanc habitam orationem fuisse, Silano et Murena Coss. V. Kal. Septembr. Vide, quaeso, Wesseling. Probab. cap. XXXIX. pag. 374. Verumtamen annum quidem recte posuit eius auctor monumenti: dies autem pluribus distare mensibus ab initio anni videtur, si attendas verba illa cap. 33. [§. 92.] *per hos menses*, et quod ex cap. 2. [§. 6.] apparet, quinque homines ante Sullam illo anno eiusdem criminis accusatos damnatosque fuisse. Mihi Manutianis de anno coniecturis duas addere liceat: unam, quam videbis ad cap. 19. [§. 54.] alteram non contemnendam ex Gelliana illa narratione XII. 12. [§. 2.] sumtam. Scio non deesse, qui negent, Tullium ad emendam Crassi domum pecuniam a Sulla, cum hic esset reus, mutuam accepisse. Hi tamen ipsi negare non possunt, id ab antiquioribus memoriae proditum, eorumque fide a Gellio fuisse narratum. Sive igitur hoc verum est, sive falsum, Cicero emit de Crasso domum prope tempus illud, quo Sulla est absolutus. Non modo enim sine veritatis specie, verum stultitia incredibili ea fuisset conficta narratio, si tempore ipso redargueretur. Atqui I. ad Att. 13. [§. 7.] haec legimus VI. Kal. Febr. Messalla et Pisone Coss. scripta, h. e. anni DCXCII. principio: *Messalla Consul Autronianam domum emit etc. ea emtione et nos bene emisse iudicati sumus: et homines intelligere coeperunt, licere amicorum facultatibus in emendo ad dignitatem aliquam pervenire.* Quam belle omnia cohaerent! Anno DCXCI. Murena Consule damnatus est P. Autronius, P. Sulla absolutus, domus a Tullio emta: si anni

sequentis initio Messalla emit Autronii domum, suaque emtione Tullianam defendit. Est etiam ep. 6. lib. V. ad Divers. Decembri mense anni eiusdem conscripta, cum in ea domus a Tullio paullo ante coemtae fiat mentio, et instantis Ianuarii, et Q. Caleni Tribuni pl. qui eo mense annoque iniit magistratum: quamvis omnes cum Sigonio ad an. seq. DCXCII. illam referant. Neque enim anno demum elapso P. Sextium de sua illa emtione Tullius certiorem faceret. Denique annum, quo de agimus, firmat Manutius ad cap. 10. sua de Tribuno illo plebis, qui obscure ibi tangitur, coniectura. Significari autem putat Q. Metellum Nepotem. Quo certior est annus, id eo magis verum existimabitur, nisi res perpendatur attentius. Ego quidem dubito vehementer, an ille sit in eo loco intelligendus, ut certe pro Mur. 38. Primum ex Plutarchi Catone minore et Dionis historia constat, Metellum a Catone fractum in Asiam ivisse ad Pompeium: cum SCo reip. administratione, ut ait Suet. in Caes. XVI., submotus fuisset. Rediit non longo intervallo: sed post reditum quievisse videtur: de reliquo eius anni tempore, quo Tribunus fuit, siletur ab omnibus. Atqui haec oratio aut illo absente, aut iam reverso habita est: ne potestatem quidem ab eo recuperatam legimus. Sed non quieverit: scripserit etiam in eum Cicero notam illam orationem, postquam ex Asia redierit: eiusque sit orationis fragmentum, quod sine cuiusquam nomine laudatur a Quinctiliano I. O. IX. 3. [§. 43.] pag. 811. [ed. Burmann.] *Venit ex Asia* etc. quod tamen qui sit suspicatus, vidi neminem. At Cicero Tribunum illum coniurationis arguit verbis apertissimis, atque ita, ut non solus id credere videatur. Metellus autem nulla fuit umquam tanti facinoris suspicione perstrictus. Magnum habet pondus in tali viro silentium omnium scriptorum. Quam ille in Consulatu virtutem, quem reip. amorem ostenderit, optimus Cicero ipse testis est, post red. in Sen. 10. [§. 25.] pro Sext. 62. [§. 130.] etc. Sed, ne multa, quae suppetunt, argumenta colligendo sim longior, designari potius dixerim L. Calpurnium Bestiam, qui et in coniuratis nominatur a Sallust. Cat. XVII. 3. et rerum

a Tullio gestarum vel maximus reprehensor fuisse traditur. Hunc Plutarchus in Cic. cap. XXIII. Tribunum plebis cum Metello dicit fuisse. Sed fidem Plutarcho detrahit Manutius: quibuscumque potest locis clamat, illum errasse; idemque alii putant, quos Cortius est secutus ad Sallust. Cat. XLIII. 1. At eius quidem narratio satis accurata non est; verum quo anno Praetorem Caesarem, Tribunum pl. Metellum recte constituit, eodem haud minus recte Bestiae Tribunatum collocavit. Sallustium opponunt l. c. eiusque descriptorem Appianum pag. 712. ed. Toll. quorum obscuritatem satius erat per Plutarchum dispellere. Coniuratos ait constituisse Sallustius, *uti, Catilina in agrum Fesulanum cum venisset, L. Bestia Tribunus pl. concione habita quereretur de actionibus Ciceronis* etc. *proxuma nocte* caedes *fieret* et incendium: denique coniurati *simul, caede et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent.* An Fesulas erant ituri? quam longum, quam parum verisimile hoc est! Quis non videt, Catilina parato et ad urbem cum exercitu accedente, haec fieri debuisse? Neque aliter coniurati statuerunt ipsi, ut patet ex III. in Catil. 4. [§. 8.] Pighius itaque, cum de re in Saturnalia, h. e. in medium Decembrem ex Tullii loco cit. constituta agi putaret, cum iam Bestia magistratum inisset, non cum deposuisset; eius Tribunatum anno DCXCI. affigere non dubitavit: quem ego sequor, sive Sallustius ita sit explicandus, *cum Catilina Fesulas venisset, et Bestia Tribunatum inisset*, sive revera id facere Bestia debuerit, cum adhuc esset designatus, ut certe poterat ex cap. 38. pro Mur., et mutato postea consilio Saturnalia fuerint exspectata. Sed neutrum dicas a Sallustio definiri, quod dies esset incertus, et concio illa Bestiae tam circa Kal. Decembr. quam post IV. Idus paucorum dierum intervallo fieri posset. Meminit Cicero pro Sext. 5. [§. 11.] *Tribunorum plebis novorum, qui tum extremis diebus Consulatus mei res eas, quas gesseram, vexare cupiebant.* Non solus ergo Metellus: eique paene iubet Bestiam adiungere insignis locus epistolae Bruti 24. [I. ep. 17.] a nomine hac in quaestione consultus, quo ego potissimum et Plutarchum

defendo, et illum Tullii locum ad Bestiam refero: *An quia non omnibus horis iactamus Idus Martias, similiter atque ille Nonas Decembres suas in ore habet, eo meliore condi-tione Cicero pulcherrimum factum vituperabit, quam Bestia et Clodius reprehendere illius Consulatum soliti sunt?* Cur hic Bestia, non Metellus, nominatur? Nimirum Bestia Metello saepius, diutius, vehementius coniuratos eluxit. Num privatus iudicium effugisset? Num in Senatu Ciceroni et Catoni par esse potuit? Non certe de privato loquitur Brutus: si enim privatorum sermones colligere ac tanti facere oportebat, qui ex tot coniuratis et perditis unus Bestia deligitur et Clodio adiungitur? Erat ergo Tribunus pl. anno DCXCI. nam, si superiore fuisset, coniuratorum necem, de qua maxime Brutus agit, extremis diebus Tribunatus sui peractam exagitare tantopere non potuisset. GARATON.

Argumentum Fr. Sylvii.

Marco Lepido et L. Volcatio Tullo Coss. P. Sulla et P. Autronius Coss. designati, a L. Torquato competitore de ambitu accusati, legibus poenas dederunt. Eorum in locum facti sunt Consules, ipse Torquatus et L. Cotta. Hoc iudicium mox consecuta prima Catilinae coniuratio, qua Consulibus et plerisque Senatoribus coniurati perniciem machinabantur. Altera coniuratio in Ciceronis Consulatu emersit. Hac oppressa factum est Senatusconsultum, ut de coniuratis quaereretur. L. Torquati filius adolescens P. Sullam accusavit, quod in utraque Catilinae coniuratione fuisset. Eum de priore coniuratione Q. Hortensius, qui tum praesens aderat, cum de ea quaereretur, de posteriore Cicero, qui eam ipse patefecit oppressitque, hac oratione defendit. Prius tamen, quam ad causam accedat, refellit quaedam in se ab adversario in accusatione dicta. In eum accusator multum invectus, eum primum levem atque inconstantem esse dixit, quod cum

patefecerit atque oppresserit coniurationem, quod cum P. Autronium defendere noluerit, sed in eum testimonium dixerit, P. Sullam coniurationis reum defendat; deinde eum regnare, quod in quos testimonia dixisset, damnati essent: Sulla autem, quem defendit, speret se absolutum iri; postremo peregrinum Regem eum appellavit. Negat Cicero Sullam in coniuratis fuisse, quem si Q. Hortensius defendit, si omnes viri boni defensum volunt, qui alium nullum ex coniuratis defenderunt, sibi licere dicit, ut defendat. Autronium autem, quia coniuraverat, deseruit. Se nec peregrinum, nec Regem esse ostendit. Castigat Torquatum, quod coniuratorum poenam mortemque lugeat: eumque hortatur, ut maledicere desinat, ne se cogat respondere. Nec irascendum esse iis, qui amicos defendant, ostendit. L. Cassium Allobrogibus, quos in coniurationis societatem sollicitabat, cum aliis coniuratis P. Sullam nominasse Torquatus dixit. Id negat Cicero: sed eum, cum Allobroges de Sulla quaesissent, respondisse se nescire. Probat falsum Cicero, quod dixerat Torquatus, eum in tabulas publicas aliter retulisse, atque indicatum sit. C. Cornelii filius dixit, Sullam emisse gladiatores ad caedem et tumultum faciendum. Ostendit Cicero Sullam eos emisse, propterea quod ab eo Faustus Sulla ita petiverit litteris, ad munus gladiatorium debitum patri praestandum. P. Cincium in Hispaniam ulteriorem a P. Sulla missum, ut eam turbaret: ab eodem Sulla impulsos Pompeianos, ut ad hanc coniurationem accederent. L. Caecilium Trib. pleb. voluisse legem ferre, qua P. Sullae fratris iudicium de ambitu rescinderet, Torquatus dixit. Haec omnia Cicero refutat, negatque significasse se in epistola ad Cn. Pompeium, Sullam in priore coniuratione fuisse, quod adversarius obiecerat. Concludens Cicero Deos obtestatur, Sullam ex coniuratione non fuisse. Affectus mirandum in modum movet. Genus causae iudiciale. Status coniecturalis. Haec autem causa L. Murena et D. Iunio Sullano Coss. non multis mensibus post Consulatum Ciceronis acta est. P. Sullam in priore coniuratione fuisse, Suetonius scribit in Caesare Dictatore [cap. 9.] Idem significat

T. Livius libro centesimo primo. Eum Sallustius [Catil. cap. 17. Vid. tamen Garaton. infra ad cap. II. §. 6. Fr.] nominat cum iis, qui fuerunt in posteriore.

CAP. I.

Maxime vellem. P. Sulla et P. Autronius designati Consules, ambitus damnati sunt anno post R. cond. IↃCXXCVIII. P. Sulla, ut hanc calamitatem ferret modestius, Neapolim se contulit, ibique aliquando commoratus est: Autronius vero cum Catilina et Pisone coniuravit de L. Torquato et L. Cotta designatis Consulibus necandis Kalend. Ianuariis, cum inirent magistratum, ut rescissa re iudicata, ipse cum Catilina Consul esset. Sylvius. — Haec oratio inprimis, locis pluribus e MS. Erfurt. [Thuringico Gruteri] est expleta et correcta. Ernest.

et antea. Cum Consul designatus erat. Sylv.

dignitatis suae splendorem obtinere. Ut consul designatus erat, ita consulatum administrare; quod cum ei non licuerit, amisso consulatu, splendorem simul amisit suae dignitatis. Manutius. — In codice antiquo *obtineret* scriptum invenio; quae lectio nihil minus placet. Sylv. — Sic et Dresd. ac uterque Francii, edit. prima ac Mediol. et omnino praestat sic legi. Graevius. — Edd. vett. *obtineret:* quod revocavit Graevius. male. non fert verbum *antea*; quod requirit *obtinuisset*, si finite hoc verbum dicatur. Ern. — Prior Ven. *optineret*, altera *obtineret*, (Naug. cum reliquis omnibus, uno excepto Graevio, *obtinere*): quod est etiam in cod. Barb. de quo ad cap. 3. pro Flac. ubi hanc orat. aliasque plures habemus. Garaton.

et post calamitatem. Improba lectio non esset, si scriberetur, *aut post calamitatem.* Sylv.

post calamitatem acceptam. Post damnationem. Manut. — Id est, post condemnationem de ambitu. *Acci-*

pere calamitatem dicit, ut accipere iniuriam, vulnus, plagam, dolorem. In Divinatione [cap. 18. §. 60.] *Si plurimas a tuo Praetore iniurias accepisses, tamen eas ferendo maiorem laudem, quam ulciscendo mererere.* Servius Sulpicius ad Ciceronem lib. ep. famil. IV. [ep. 12. §. 2.] *Mihi nuntiavit, M. Marcellum collegam nostrum post coenae tempus a P. Magio Chilone familiari eius pugione percussum esse, et duo vulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite secundum aurem: sperare tamen, eum vivere posse.* Cicero epist. ad Atticum I. [ep. 16. §. 5.] *Ille locus inductus est a me divinitus, ne una plaga accepta Patres Conscripti conciderent.* et libro secundo [ep. 21. §. 2.] *Si Protogenes Ialysum illum suum coeno oblitum videret, magnum credo acciperet dolorem.* Sylv. — Cf. Nep. Conon. cap. 1. Fr.

modestiae fructum aliquem potuisset percipere. Ut, quia calamitatem modeste tulit, propterea fructum aliquem suae modestiae ferret: quem autem fructum? ut novam ei calamitatem creare nemo vellet. Manut. — Quia modeste calamitatem tulit, vellem maxime, ut inimici eius contenti essent, nec eum in iudicium vocassent. Sylv.

ita tulit. Id est, ita voluit. Sylv.

casus infestus. Id est, adversa fortuna, quae ei instabat vigebatque. Sylv.

amplissimo in honore. In consulatu. Manut. — Id est, in Consulatu. Consul enim designatus erat Sulla, cum de ambitu damnatus est. Sylv. — *In* delendum est, nam *everti* nunquam hanc praepositionem habet: nec *everteretur* absolute capi potest. De re vid. Clav. in *P. Sulla.* Ern. — *in ampl. hon. everti* fuisset, cum eum iam gereret, esse miserum factum; at Sulla, designatus consul, privatus est honore suscipiendo, quod est *honore everti*, h. e. deiici. Fortassis, quia sequitur *in his prist. fort. reliq.*, factum est, ut et hic praepositio repeteretur. Beckius. — Wolfius *in* illud corruptum putat pro *et*, quod propter seqq. *et in his* etc. aegre desideretur. Fr.

communi ambitionis invidia. Non propria culpa, sed communi eorum odio, qui malis artibus, ambitu praesertim,

honores adipiscuntur. MANUT. — His enim, qui magistratus facti sunt, invidere solent ii praesertim ipsi, qui magistratus petunt. SYLV. — *ambitionem* pro *ambitu* dixit; sed lenius posuit vocabulum, ut ait Matthiae, ne in Sullam ambitus crimen conferre videretur. De ablativis duobus (*amplissimo honore — singulari Autronii odio*) diversa vi praeditis vid. Matth. ad orat. pro Muren. §. 87. FR.

Autronii. P. Autronii Paeti: cui propter improbitatem et nequitiam infensi omnes erant: et quia simul designati erant consules, Autronii culpae affinis esse Sulla existimatus est. MANUT. — *singulari Autronii odio.* Multis enim Autronius ob improbitatem odiosus erat. Damnatus est igitur Sulla de ambitu ob communem ambitionis invidiam, et ob Autronii odium singulare, qui Sullae collega erat. Aequum enim visum non est, cum ambo eadem lege interrogarentur, ut altero damnato, alter absolveretur. SYLV. — *Autronii.* Sic scribendum est hoc nomen, per *u*, inquam, in prima syllaba, non per *n*. LAMBINUS. — *Antronii* scribendum hic, et infra, ex auctoritate veterum librorum et numismatum. F. URSINUS. — Hic ipse est, de quo Cic. in Bruto cap. 68. ubi primam syllabam non per *u*, sed per *n*, scripsimus, Victorium secuti et Corradum. OLIVET. — Fatetur itaque, se mutasse sententiam: nam hic recte dedit *Autronii*, ut iamdudum constat inter eruditos nomen hoc esse scribendum. Vide Pighianos Annales DCLXXXVII. GARATON.

everteretur. Id est, spoliaretur, ut Act. in Verr. IV. [act. II. lib. II. cap. 17. §. 43.] *An huiusmodi iudicium det, quo iudicio, indicta causa fortunis omnibus everti necesse sit.* SYLV.

pristinae fortunae. Cum esset Consul des. SYLV.

miseris et afflictis. I. e. quamvis miserae et afflictae essent. de qua ratione vid. Matth. ad III. in Catil. §. 10. FR.

quosdam. Torquatum filium significat; quo accusante, de ambitu damnatus consulatum amiserat. MANUT. — *haberet quosdam.* Ut C. Cornelium et L. Torquatum. SYLV.

ne supplicio quidem suo. Ne poena quidem consulatus amissi. MANUT.

molestiam capio. Id est, doleo. Capere detrimentum, dolorem, laetitiam, voluptatem, idem dicit, Invectiva in Catilinam prima [cap. 2. §. 4.] *Decrevit quondam Senatus, ut L. Opimius Cos. videret, ne quid respublica detrimenti caperet.* in lib. de Clar. Oratoribus [cap. 1. §. 1.] *Cum e Cilicia decedens Rhodum venissem, et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem.* pro M. Caelio [cap. 14. §. 33.] *Minimum dolorem capiet, qui istam non viderit.* lib. epist. Famil. III. [ep. 9. §. 2.] *Ego etsi ipse ita iudicabam, et fiebam crebro a meis per litteras certior, tamen maximam laetitiam cepi ex tuis litteris de spe minime dubia et plane explorata triumphi tui.* item [ep. 2. extr.] *Hoc velim tibi persuadeas, si rationibus meis a te provisum esse intellexero, magnam te ex eo et perpetuam voluptatem esse capturum.* Sylv.

in ceteris malis. Id est, inter cetera mala. Sylv.

facile patior. I. e. libenter patior. Cf. de Orat. II. 88. §. 346. ad Att. XIII. 39. Fr.

lenitatem meam. Cicero enim lenis et misericors natura fuit, ut etiam postea dicet. Sylv.

notam omnibus quondam. Id est, ante Consulatum meum, in quo fui severior in opprimenda coniuratione Catilinae. Sylv.

nunc quasi intermissam. Quia severe contra Catilinam eiusque socios decrevit. Manut.

agnoscerent. Id est, recognoscerent. Nova enim cognoscimus, agnoscimus vetera. Sylv.

improbi ac perditi cives. Ii praesertim, qui in coniuratis fuerunt, aut cum iis senserunt, aut eorum familiares fuerunt. Sylv.

re domiti atque victi. Scribatur melius *edomiti*, una voce, quam duabus *re domiti.* Sylv. — *redomiti atque victi.* Haec est scriptura veterum impressionum, haec Palatinorum octo, novem, decem, haec codicis S. Victoris, Busbequii, ac Gruteri: recentius cusi, *edomiti.* Gruter. — Sic et omnes libri veteres, quos ego vidi, Dresdensis, (quem frater meus Gothofredus Graevius evolvit) uterque Francii,

Pythoei, (nam is hanc orationem cum veteribus membranis contulit, quarum Excerpta penes me sunt) prima et Mediolanensis editio. *Redomiti* autem pro *domiti* ponitur, ut *rubor* pro rubor, *redimo* pro emo, *refero* pro fero, ut *refero ad senatum; reformido* pro formido, *refugio* pro fugio, et huius generis alia. GRAEV. — *Redomiti* etiam cod. Barb. GARATON. — Sic MSS. et edd. pr. Primus Iunta edidit *edomiti*, quod et alii, Victorius, Lamb. etc. secuti sunt. Si Iunta habuit e libro Coletiano, feratur: *redomitus* quidem certe non est contra analogiam linguae, restituitque Gruterus. Aldus dedit *re domiti*, sive operae potius. ERN. — Graevii explicationem probat Wolff. Contra Matth. sic explicat: denuo domiti, Sulla absoluto, quem condemnari voluerant. FR.

praecipitante republica. Id est, ruente. ut: *Nox humida coelo praecipitat.* [Virg. Aen. II. 8. et 9.] SYLV. — Cf. §. 87. Virg. Aen. IX. 670. Cic. de Rep. VI. 18. *Nilus praecipitabat ex altissimis montibus.* ubi non est cur *praecipitabat se* legendum credas. FR.

vehemens est severus, et opponitur *miti*, ut *fortis misericordi* [cf. §§. 8. 87.] Merito tum vehemens fuit Cicero. Nam *adhibenda est reipublicae causa severitas, sine qua administrari civitas nulla potest*; ut Cicero ait l. de Offic. [25. §. 88.] Et revera *id est viri magni, rebus agitatis, punire sontes, multitudinem conservare*; ut eiusdem verbis ex eodem libro [cap. 24. §. 82.] utar. GRAEV.

misericordem. Est et hoc viri insignis, tempore lenem esse ac mitem, quibus maxime hominum animi concilientur et omnium benevolentia. Misericordia vero quanti sit facienda, docet egregie Cassiodorus, qui primum ei inter virtutes locum tribuit, Var. II. ep. 9. *Benigni principis ad clementiae commodum transilire inter terminos aequitatis, quando sola est misericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant.* GRAEV.

§. 2. *Et quoniam L. Torquatus.* Propositio est, quam prooemio subiungit Aristoteles, ut ait Quinct. lib. III. [cap. 9. §. 5.] SYLV. — Sumsit hunc locum ex oratione Demosthe-

nis pro Ctesiphonte, in qua [pag. 228. Rsk.] scriptum est: *Εἰ μὲν οὖν περὶ ὧν ἐδίωκε μόνον κατηγόρηκεν Αἰσχίνης, κἀγὼ περὶ αὐτοῦ τοῦ προβουλεύματος εὐθὺς ἂν ἀπελογούμην, ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἐλάττω λόγον τἄλλα διεξιὼν ἀνήλωκε καὶ τὰ πλεῖστα κατεψεύσατό μου, ἀναγκαῖον εἶναι νομίζω καὶ δίκαιον ἅμα, βραχέα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, περὶ τούτων πρῶτον εἰπεῖν. Quod si Aeschines ea solum, quae in accusatione praescripsit, tractasset, ego quoque de ipso Senatusconsulto statim respondissem. Quoniam autem ceteris recensendis non pauciora verba fecit, et in me pleraque mentitus est, simul et necessarium et iustum esse puto, ut paucis, Athenienses, de his primum dicam.* F. Ursin. — Idem observaverat Muretus II. Var. Lect. 18. Gar. — Cf. §. 35. Fr.

necessitatem. Necessitudinem [sic explicat Manut. quoque] hac in re Cicero dixit saepius. quod tamen necessitas quoque dici possit, ut est apud A. Gell. lib. XIII. [cap. 3. §. 4. et 5.] *Necessitas*, inquit, *pro iure officioque observantiae affinitatisve infrequens est. Quamquam qui ob hoc ipsum ius affinitatis familiaritatisve coniuncti sunt, necessarii dicuntur: reperi tamen in oratione C. Caesaris, qua Plautiam rogationem suasit, necessitatem dictam pro necessitudine, id est, iure affinitatis. Verba sunt haec: Equidem mihi videor pro nostra necessitate non labore, non opera, non industria defuisse.* Haec ille. Cato maior eiusque aemulus Sallustius necessitudinem saepe dicunt, pro vi premente et cogente. Necessitudinis nomine continetur etiam ius et vinculum vicinitatis: ut in oratione pro Cn. Plancio [cap. 30. §. 72.] *Mihi ad defendendum Plancium parum multae, parum iustae necessitudines erant familiaritatis, vicinitatis, patris amicitiae?* Sylv. — Adde Cort. ad Sall. Cat. XVII, 5. Davis. ad VIII. de Bello Gall. 53. etc. Garaton.

familiaritatemque violasset. Id est, si in Sulla accusando me vituperasset. Sylv.

de auctoritate meae defensionis. Illud in agendis causis praecipuum est, ut orator sit et habeatur vir bonus: proximum, ut saltem habeatur. Cum igitur orator ab advocato adversae partis vituperatur, eius auctoritas diminuitur, nec

iam habetur a iudicibus vir bonus. Itaque solet Cicero in defensionibus, si quid ab accusatore contra auctoritatem suam dictum sit, id post prooemium et ante causae defensionem refutare. Id ut hoc loco, ita pro L. Murena [cap. 1. §. 2. seqq.] facit. Sylv.

cum huius periculi propulsatione. Id est, cum Sullae defensione. Sylv. — Cf. adn. m. ad Xen. Hier. I. 10. Fr.

coniungam defensionem officii mei. Id est, officium meum defendam, quod L. Torquatus reprehendit. Sylv.

ille. Torquatus. Sylv.

de mea auctoritate deripuisset. Sic est legendum, et ita habet codex unus Memmianus manuscr. *Deripere* autem idem valet, quod illud supra positum, *detrahere.* Nam *diripere*, quod est in vulgatis, locum hic non habet. Lamb. — Recte. Nam *diripere* est distrahere, in varias partes rapere, discindere. Fr. — Sic *derepta cutis* apud Ovid. VI. Metam. [vs. 387.] pro quo male in nonnullis libris legitur *direpta.* Vide de hac voce magni viri et amici mei, cum superesset, Nicolai Heinsii notas ad I. Ovid. Amor. el. 5. [vs. 13.] et 14. [vs. 12.] Eodem modo confunduntur in libris *destringere* ac *distringere*; ut multis observavit erudite amplissimus Vir Gisbert. Cuperus Observ. IV. 5. Graevius. — Wolff. servandum existimans *diripuisset*, provocat ad Voss. in Virg. Georg. II. 8. Fr.

tantum se de huius praesidiis deminuturum. Id est, de Sullae defensione. Sylv. — *praesidiis deminuturum: sic hoc ego sentio.* Non potui excludere scripturam Pall. nostrorum novem, item olim cuserum; nam sequioris aevi editiones, *diminuturum speravit: sic* etc. cuius vocis in aliis illis nullum vestigium; solum erat ad oram quinti, *scilicet sensit;* octavi, *existimat;* S. Victoris habebat in contextu *putavit*, si non fallit manus Guilielmii; qui tamen nihil adnotavit praeterea, quam illud *speravit* abfuisse etiam libro Busbequii nostri. Grut. — Novem Palatinis subscribit Francii secundus, Pith. et editio prima. Sed primus Francii ac Dresd. retinet *putat.* Mediolanensis, Victorii, Lambini, Ascensii, Bruti. editiones *speravit.* Sententia sane hanc aut

similem vocem necessario requirit; nisi dicas, subaudiendum esse *sensit*, ex posteriore huius περιοχῆς parte; *sic sentio*. Graev. — *deminuturum putavit.* Restitui *putavit*, quod erat in MSS. S. Victoris, et per compendium *putat.* in MSS. Dresd. Fr. Sic, ut opinor, e Codice Colotiano, Iunta, *speravit* dedere edd. Med. Ald. Victor. Lamb. etc. Gruterus omisit, cum a plerisque MSS. eius abesset, ut ab edd. R. W. Br. Sed necessarium est tale verbum, nec id e sequente *sentio* intelligi potest. Praetuli autem *putavit*, quod id est in MSS. Ern. — Beck. sequutus Ernestium dedit *putavit*, quia sequenti verbo *sentio* magis respondere videbatur quam *speravit*. Fr. — *deminuturum: sic hoc ego* etc. Verbum *speravit* ab Oliv. et Lallem. revocatum est, quod olim praeter eos, qui nominantur a Graevio, Hervag. etiam et Man. adsciverant. Lambini et Henr. Stephani silentium suadet, in optimis eorum codicibus illud verbum non defuisse: nisi forte, quam mendosam existimarent, ellipsin contempserunt. Mihi magis suspectum est ex illis varietatibus, *putat*, *putavit*, *existimat*, quam ex ceterorum codicum, in quibus Barb. est, omissione. In Palatino quinto recte monetur subaudiri, *sensit*. Sexcenti sunt loci, quibus verbum semel positum non modo ad praecedentia idem subauditur, verum etiam, ut hic, mutata persona. Ita IV. Tusc. 14. [§. 32.] *Ingeniosi, ut aes Corinthium in aeruginem, sic illi in morbum et incidunt tardius, et recreantur ocius.* Gar. — Wolffio quoque videtur *sensit* facile suppleri posse. coll. cap. 7. §. 22. ubi sit similis ellipsis: *si hos tales viros* etc. At quum aliorum locorum alia esse ratio videatur, cum Ern. censet Beck. hic non deesse verbum nec e seqq. intelligi commode posse. Recte. Idem iudicat Matth. Fr.

probavero. Id est, fecero ut adprobetis. Sylv. — Quae praecedunt *officii et defensionis* Matth. statuit ἓν διὰ δυοῖν· si vobis probavero me in hoc officio defensionis mihi constare etc. Fr.

§. 3. *a ceteris clarissimis viris.* Q. Hortensio aliisque, qui P. Sullam defendunt. Cum multis Cicero causam

suam coniungit, ut ostendat, quod illi multi non reprehenduntur, factum suum reprehensione indignum esse. Ciceronem autem reprehendebat Torquatus, quod P. Sullam de coniuratione defenderet, cum eius coniurationis vindex fuisset. SYLV.

Q. Hortensii factum. Sullae defensio. MANUT. — Id est, defensio. SYLV.

clarissimi atque ornatissimi viri. Sic uterque Franc. Pith. Dresd. editio prima. Vulgati, *clarissimi viri atque ornatissimi civis.* GRAEV. — Ita plane duo e nostris MSis, ut dedit Graevius. LALLEM. — Profecto ita etiam exhibet cod. Barb. Nescio tamen hercules, an his in codicibus, quorum insignis praestantia non est, satis inesse ponderis putem ad vulgatam eiiciendam, quae in ed. MCDLXXXXIII. sequentibusque omnibus conspicitur, et a Memm. et Steph. MSis firmatur Gruterianisque permultis; nisi fallit Lamb. et Grut. silentium. Soli enim Graev. et Lallemand. ab ea discesserant. Prior Ven. *clarissimi atque ornatissimi viri cuius*: manifesto voluit, *viri civis*, atque id ipsum mendose, nec sine glossae suspicione legitima. Verumtamen quis *civem* adscripto *virum* interpretaretur? Quis autem nescit, *virum* et *civem* solere a Tullio coniungi? Sic infra cap. 2. [§. 4.] *summis viris et clarissimis civibus;* eamdemque locutionem defendimus ad I. in Catil. 12. [§. 29.] Posset etiam legi, *clarissimi civis atque ornatissimi viri*, quam forte varietatem obtulit prior Ven. ex ora codicis in locum non suum transferens vocem *civis*. Sed vulgatam etiam quo legitur verborum ordine illa defendunt ex cap. 7. [§. 17.] ad Quirit. *P. Servilius gravissimus vir et ornatissimus civis.* GAR. — *clar. viri atque ornatissimi civis.* Graevius dedit *clar. atque ornatissimi viri*, e MSS. suis et ed. Adami, sive Wald. Edd. ceterae habent vulgatum, idque rectum est. Cicero saepe utrumque coniungit, ut mox cap. 2. *summi viri et clarissimi civis.* ERN.

mihi maiorem hae res dolorem. Quia consul in cives impios animadverti, et huius puniendi criminis cura magis ad me, quam ad quemquam alium, pertinet. MANUT.

gravius esse iudicium. Id est, verius et maioris momenti, et cui potius credendum sit. Sylv. — Quod sequitur *qui* Matthia explicante est, qualis ingenii vir. Fr.

in his caussis. Coniurationis. Sylv.

qui deserendus. Id est, non defendendus. Patronus enim deserit. Sylv. — Haec verba non leguntur in Pithoeano codice. Graev.

C A P. II.

§. 4. *tam patet Hortensio* etc. Guilielmius mallet *paret*, quod scribit a prima manu fuisse in S. Victoris et restare in ed. Lugdunensi; nostri omnes propugnant vulgatam. Grut.

non dubitasse, quin defenderet. In hac sententia alias *dubitare* struitur cum infinitivo; secundum quod esse debebat *non dubitasse inn. P. Sullam defendere.* Ern. — Vid. Schell. Obss. Beck. — Cf. Matth. ad orat. pro L. Manil. §. 40. Fr.

celebrari hoc iudicium. Venerant non ut patroni caussam acturi, sed ut advocati reum sua praesentia suaque auctoritate sublevaturi. Manut. — *celebrari.* Id est, frequentari. Sylv. — *celebrari hoc iudicium, ornari causam, defendi huius innocentiam vides.* Nec hic volui excludere scripturam Palatini, numero quidem noni, sed bonitate primi: antea edebatur compositione admodum dura: *iudicium et ornari, causam defendi huius innocentis vid.* et vero copula *et* nullo comparet in MSo, aut vetustius cusis. Grut. — Locus sic constitutus est a Grutero e MS. Pal. eiusque lectionis veritas ex ipsa concinnitate membrorum intelligitur. Ante erat *cel. iudicium et ornari, causam defendi huius innocentis vides. Ornari* est honestari. Ernest. — Abest copula etiam a Barb. ut ab edd. veteribus. Gar.

una. Id est, sola. Sylv.

§. 5. *in quibus subselliis.* Rei Sullae. Manut.

haec ornamenta ac lumina. Id est, hos clarissimos viros. Sylv.

apparere. Id est, esse et videri. Sylv.

quorum ego opera. Codex manuscr. habet: *quorum ego ope*. Lamb. — Primus Franc. *quorum ego auxilio;* sed alia manus huic vocabulo adscripserat litteris minoribus *opere*. In Francii sec. et ed. prima: *ope quorum ego;* quod non damnem. Graev. — *quorum* debet referri ad *ornamenta ac lumina civ.* Sed id est durum: cum interpositum sit *in his me apparere nollem*, sc. subselliis. Vereor, ne aut exciderit aliquid, aut transpositum sit. Pro *opera* alii libri *opere*, item *ope*, quod forte melius. Sed et aliud est in hoc loco, quod non satis concoquo. Ut, *ille locus atque haec celsissima sedes dignitatis atque honoris* est consulatus, putoque pro *hanc* legendum *illam*. Ern. — Interpunctione adiuvi locum, interr. nota post *nollem* posita (ubi vulgo comma erat,) ut *quorum* sit *cum eorum*. Vid. Schell. Obss. in prisc. script. pag. 98. Sic recte refertur ad remotius *ornamenta ac lumina*. Non autem mutavi voc. *opera*, cuius glossemata in aliis lectt. esse existimavi. Beck. — Schuetzius *quorum* retulit ad *subsellia*, et sic explicat: *in his subselliis me apparere nollem, quorum opera h. e. defensionum laboribus, post ceteros honores, summum consulatus honorem adeptus sum.* „Qui pronomen *quorum*" inquit idem „ad *ornamenta ac lumina* „*rei publicae* referendum putarunt, non animadverterunt „Ciceronem sibi nimium derogaturum fuisse, si aliorum „virorum clarorum opera se ad consulatum pervenisse di„xisset." Schuetziana haec bene refutat Wolff. quem sequitur Matth. Nam „defensionum labores, qui significantur „verbis *multis meis ac magnis laboribus et periculis*, per „se non sufficiunt ad consulatum mandandum, nisi accesse„rit virorum potentium opera et studium. *Subselliorum* au„tem, vel alius cuiusvis rei inanimae *operam* qui dixerit, „inveni neminem." Sed *quorum* ad *ornamenta ac lumina reip.* relatum non magis durum est quam quod legitur pro L. Manil. 2. §. 4. *Equitibus Rom. honestissimis viris afferuntur ex Asia quotidie litterae, quorum magnae res aguntur* etc. quem locum laudat Matth. Fr. — Vix du-

bito, quin verum sit atque a Tullio profectum hoc, *ope quorum ego.* [Ista transpositio iure displicet Beckio. Fr.]. Ita diserte prior etiam Veneta: nam secunda cum MSo Pith. in V. L. *quorum ego illum in locum,* omissa plane voce hic necessaria, sive *ope,* sive *opera:* atque ita etiam codex Barb. sed eadem manus adscripsit margini, *auxilio*, ut primus Franc. habet in contextu. De his permutationibus consule Drak. ad Liv. VIII. 16. Neque tamen sine aliis codicibus quidquam muto. Supra cod. Barber. et prior Ven. *haec ornamenta, haec lumina reip.* quod mihi placet. Garat. — *haec lumina* non probat Beck. quia statim recurrat *in his.* Fr.

illum in locum. Qualem ipsi obtinent, in illam honestatem, qua ipsi sunt: explanatur sequentibus verbis. Manut. — Id est, ad Consulatum. Sylv.

in hanc celsissimam sedem dignitatis atque honoris. Quae consularium virorum est: consulatum autem iis acceptum refert. Manut. — Id est, in hanc summam dignitatem, qua ego nunc excello. *Cello* antiquum verbum fuit, unde *excello. Celsus* inde dicitur, a quo *celsissimus* fit. Sylv. — Ernest. malebat *in illam* etc. quod praecedat *illum in locum* et utrumque indicet consulatum. Non credo. Fr.

hoc genere quaestionis. De maiestate, cuius laesae ultor fuerim. Manut. — Id est, in simili causa, coniurationis scilicet. Sylv. — Vide Ferratium supra pag. 4. adn. 3. Fr.

non desim P. Sullae. Id est, P. Sullam defendam. *Adesse* pro defendere, *abesse* et *deesse* pro deserere, id est, non defendere, in hoc loco saepe dici invenias. Sylv.

de ceteris. Qui senserunt et sentiunt idem, quod ego; neminem enim defenderunt hoc genere quaestionis, nunc tamen huic adsunt. Manut.

§. 6. *L. Varginteio.* L. Vargunteius Senator ex coniuratione fuit. Is est, qui cum C. Cornelio Ciceronem domi occidere susceperat. Sylv. — Cf. Sallust. Catilin. cap. 28. Fr.

praesertim qui illum. Magnam apud veteres fuisse clientis et patroni necessitudinem, neque clientes sine summa infamia a patronis deseri posse, est apud A. Gellium lib. V. [cap. 13.] Cliens autem dicitur is, cuius causam patronus defendit. SYLV.

solus. Maior [Hortensii cum eo] necessitudo significatur [ideoque gravius officium eum defendendi,] Nonnullarum causarum multi aliquando patroni erant, *ut L. Murenae tres, L. Cornelii Balbi totidem, Scauri sex,* ut ait Asconius. SYLV.

Ser. Sullam. Servius Sulla, Publii frater, Senator ex coniuratis fuit, ut est apud Sallustium [Catil. cap. XVII. §. 3.] SYLV.

quis Publium? Legendum arbitror, *quis P. Lentulum?* P. enim Lentulus Sura cum aliis coniuravit. SYLV. — *Ser. Sullam? quis P.? quis M. Leccam* etc. Revoco lectionem MSorum Pall. item S. Victor. Grut. et Busb. atque editionum veterum: post impressi ridicule nobis immiserant, *quis P. Lentulum:* qui numquam accusatus fuit, sed deprehensus statimque interemtus; nimirum nominantur a Sallustio inter coniuratos Serv. et P. Sullae Servii filii, hos indicat Tullius noster. GRUT. — Dresdensis et Pithoeanus consentiunt Palatinis. Sed in Francii secundo legitur: *quis Publium? quis M. Laecam?* Verum in 1. Francii clare scribitur: *quis P. Lentulum? quis M. Leccam?* quod merito receperunt Victorius, Manutius, Lambinus. GRAEV. — *quis Publium?* Fratrem Ser. Sullae. Inepte in quibusdam editis, *quis P. Lentulum?* LALL. — *quis P. Lentulum?* Restitui eiectum a Grutero *Lentulum;* qui sane in edd. pr. non est, abestque MSS. plerisque. Primus inseruit textui ed. Iunt. sine praenomine, certe e MS. Colotiano, Graevius et in MS. Fr. reperit. Gruteri dubitatio est, quod P. Lentulus nunquam reus coniurationis fuit, et iudicio damnatus: quod ita est: sed *P. Sulla,* frater Servii, quem hic intelligi vult, e Sallustii Catil. 17. est hic ipse, pro quo est oratio: qui certe hic intelligi non potest. Nempe non necesse est, omnes hos reos coniurationis intelligere, de quibus iudicio quaesitum sit.

Ern. — *quis Publium?* Gruterum ego quoque audiendum esse, plane contendo, id est, plerosque codices, quibus Barberinus accedit, ac veteres editiones. Tantum consensum id, meo iudicio, non parum adiuvat, quod integra servetur, quae nota *P.* solet perscribi, vox illa *Publium* in sec. Franc. in Pith. in Barberino, in ed. prima et in mea Ven. MCDLXXX. Perpauci codices *Lentulum* addunt: quamvis ea lectio iam inde a Naug. sic fuerit propagata, ut Grut. tantum, Verb. et Lall. ab illa discesserint. At quaenam erit glossa, si haec non est? Adeone obscurum erat Lentulorum nomen, ut coniurati huius, quem a P. Lentulo Sura diversum fuisse oportuit, alius nemo meminerit? Rem plane mirificam tam exiguis adiumentis firmari posse putabimus? Contra ex Grut. lectione magna lux in Tullium, Sallustium, historiamque promanat. Communis enim tandem evellendus est error, qui Graevio fraudi fuit. P. Sullam hunc, qui a Tullio defenditur, fratris filium fuisse L. Sullae Dictatoris, Cassius Dion adfirmat lib. XXXVI. pag. 24. In coniuratis autem nominantur ab Sallustio Cat. XVII. 3. *Publius et Servius Sullae, Servii filii.* Quis non hunc P. Sullam Servii filium existimavit? Quis non illum Servium Dictatoris fratrem credidit? Atqui prius illud omnino falsum est: alterum, nisi Dion erraverit, verum esse non potest. Coniurationes duas Cicero cap. 4. [§. 11. seq.] Sallust. omnesque distinguunt. In prima hic Sulla ponitur a Dione l. c. a Suetonio in Caes. cap. IX. eumque comprehendunt etiam verba Epit. Liv. CI. At vero Sallustium confer cap. XVIII. et quae habet infra Cicero cap. 24. [§. 67.] Nihil similius, nihil ad Sullam defendendum validius. Iam non ego, ut Hortensio et Tullio credatur, postulo, sed ut Sallustio, ut Sullae accusatori Torquato. An, cum P. Autronius de Consulatu per immane scelus recuperando cogitaret, in eadem causa P. Sulla non sibi, sed Catilinae consuluisset? Num rebus novis occulte Sulla studeret, non disputo: eum contendo in coniurationis illius principibus non fuisse, neque manifestum ullum indicium criminis praebuisse. Odium hominis et fama, quae in his est dominata rebus, decepit plures;

neque P. Sulla fuit secus, ac Caesar et Crassus, hac suspicione perfusus. Multo igitur potiori ratione iurati iudices statuerunt, in altera Catilinae coniuratione P. Sullam non fuisse videri. Hoc saltem credamus oportet, fidem suam noluisse Tullium proiicere, neque gravissimum ipsius testimonium redargui, neque Sullam potuisse convinci. Iam vero quis credat, Sallustium, qui summa cura ab incertis certa disiungit, qui P. Sullam in prima coniuratione, cuius a multis particeps dicebatur, non numeravit, eumdem Sullam in secunda, in quam ab aliis scriptoribus non coniicitur, inter compertos facinoris collocasse, Tullii fide iudiciique publici religione contemta? Sed Tullium simul et Sallustium absolvit hic locus a Gruteri praesidiis firmissimis restitutus. Alius nimirum fuit a nostro diversus P. Sulla Servii filius, qui cum Servio fratre a Sallustio dicitur coniurasse, cum eodem a Tullio dicitur fuisse damnatus. Hoc ipse, si quis attendisset, Crispus subindicabat: cur enim addidit, *Servii filii*, si eadem alius nemo habebat nomina? nonne sic P. Sullam Servii filium coniuratum voluit a nostro, quem paullo post nominat, P. Sulla distinguere? Potestne ulla maior Tullium inter atque Sallustium esse concordia? Mitto plura: satis enim patet, Publium nostrum neque Servii fratrem, neque Servii filium existimari posse. Quod si Dioni credimus, ei fuisse patruum Dictatorem, erit sane quam verisimile, alium Publium Lucii fratrem parentem illi tribuere, quod ipse in filio praenomen servavit ex XV. ad Div. 17. [§. 2.] Tum vero ille Servius, qui frater Dictatoris putatur, ab altero Servio descendet, eius Publii fratre, qui Sullae Dictatoris avus fuit. Haec omnia videtur praenominum ratio firmare: consule stemma Sullarum apud Sigon. ad Liv. XXV. 12. Tamen vereor, ne sit error ex praenomine Dioni subortus. Nam Cicero non modo infra cap. 26. [§. 72.] L. Sullam Publii patruum non appellavit; verum etiam II. de Offic. 8. [§. 29.] de hoc Publio loquens, *Dictatore*, ait, *propinquo suo*, ubi certe *patruo suo*, si verus esset Dion, videtur fuisse dicturus. Sic itaque P. et Serv. fratres coniurati patruum Dictatorem ha-

buissent, noster autem Publius *propinquus* tantum Dictatoris fuisset, ab eius patruo magno Servio descendens. Neminem vidi hactenus, qui, face a Grut. praelata, has res illustraverit. Gar. — Quaerit Beckius, qui factum fuerit, ut istum P. Sullam, quem diversum fuisse ab hoc P. Sulla statuit Garaton., non a suo accurate distingueret Cicero. „Deinde potuit in illo conventu, quem Sallust. memorat, „etiam P. Sulla noster esse, neque tamen ipsius coniuratio„nis fieri particeps. Denique si hic P. Sulla diversus fuit „ab illo, cur Sallustius eum cap. 18, 3. non distinxit?" Garatonio adsentitur Matth. Fr.

M. Laecam. M. Porcium Laecam; cuius in domum coniuratos Catilina convocavit: ut infra [cap. 18. §. 52.] et orat. I. in Catil. [cap. 4. §§. 8. 9.] Manut. — *M. Leccam.* Per M. Porcium Leccam Senatorem coniurationis principes intempesta nocte rursus convocatos, Sallust. [Cat. cap. 27.] scribit. De consilio coniurationis in domo eius habito, postea [l. supra l.] Cicero dicet. Sylv. — *M. Lecca* scribitur in plerisque editionibus. Sed rectius Manutiana *M. Laecam.* Sic enim in antiquo denario legitur: *P. Laeca.* Graev.

C. Cornelium. Qui se Ciceronem consulem interfecturum esse pollicitus erat; infra [18. §. 52.] et apud Sallustium [Catil. cap. 28.] Manut. — *quis Cornelium?* C. Cornelius ex equestri ordine. Sylv. — Lamb. et Man. *quis C. Cornelium?* Gar.

quis his horum adfuit? Offendit hoc aures nostras. An *nostrum?* Ern. — Nulla opus mutatio est. Fr.

ceteris in causis. Negat Cicero in libro de Offic. II. [cap. 14. §. 51.] *habendum esse religioni contrarium, nocentem aliquando et nefarium impiumque defendere; Vult,* inquit, *hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas.* Sylv.

si necessarii sunt, deserendos esse non putant. Id est, defendendos putant. Sylv. — Gemma huius lectionis nata e Palatino illo nono; alii enim nostri, *si necessarii sunt,*

defendendos esse non putant; contra mentem auctoris; itaque Critici correctores vulgatis alterum adhuc interseruerant negativum, *non defendendos esse non putant:* quam inepte, quilibet iam animadvertit. Grut. — Non reiicio scripturam, quam in Palatino invenit Gruterus, huic loco admodum accommodatam; nec tamen spreverim, quod prae se ferunt Francii secundus et editio prima, qui libri semper consentiunt, *si necessarii sunt, defendendos esse putant.* Graev. — Cum hac prima ed. consentit Ven. MCDLXXX. Altera Ven. cum Naug. et omnibus usque ad Grut., quem omnes postea secuti sunt, *non defendendos esse non putant:* atque hanc lectionem Sylvius interpretatur. Cod. Barb. est cum Palatinis plerisque mendosus. Gar. — *non defendendos esse non putant.* Sic edd. pr. consensu. [eaque verissima lectio est.] Excidit in libris nonnullis primum *non:* unde quidam corrigendi caussa aut alterum *non* delevere, ut Fr. 2. ed. W. aut *deserendos* fecere, ut MS. Gruteri, e quo id inseruit editioni suae. Ern.

quaedam contagio sceleris. Affinis enim suspicioni est, qui alium coniurationis defendit. Sylv.

quem obstrictum esse patriae suspicere. Nam *obstringere scelere* saepe dicit Cicero. ut in lib. de Officiis III. [cap. 4. §. 19.] *Num igitur se obstrinxit scelere, si quis tyrannum occidit, quamvis familiarem?* Act. in Verr. III. [act. II. lib. I. cap. 3. §. 7.] *Neque iste mihi videtur se ad damnationem offerre solum, neque hoc avaritiae supplicio communi, qui tot sceleribus se obstrinxerit, contentus esse.* et Act. VII. [act. II. lib. V. cap. 70. §. 179.] *Num omnes, qui tanto se scelere obstrinxerint, ut aut fidem suam corrumpi paterentur, aut iudicium corrumperent, in discrimen ac iudicium vocandi?* Sylv. — *quem obstrictum esse patriae parricidio suspicere. Obstringi* et *obligari* scelere dicuntur, quibus necessitas est imposita poenam sceleri commisso propositam ferendi. Matthiae. — Sic loquitur etiam Cic. III. de Offic. [cap. 21. §. 83.] *Potest enim, Dii immortales! cuiquam esse utile foedissimum et deterrimum parricidium patriae, quamvis*

eo qui se obstrinxerit, *ab oppressis civibus parens nominetur?* et XI. Philipp. [cap. 12. §. 29.] *Qui nefario se patriae parricidio obstrinxit.* ZINZERLINGIUS. — Ita esse in Turingico codice nuper prodidit in Promulside sua meus Zinzerlingius, adnotaratque e Suffridi schedis ad librum suum Guilielmius, quod ipsum nunc confirmamus auctoritate Pal. noni: itaque viderint alii deinceps, quomodo vulgatam tueri possint, cui aberat vox *parricidio*, (quae male item a Barb. abest. GAR.) volente alioquin Guilielmio. GRUT. — *parricidio* e MS. Erf. et Pal. addidit primus Gruterus, optime. ERN.

§. 7. *Autronio.* Apparet bis esse damnatum, de ambitu primum, deinde, quod hic significatur, de maiestate. MANUT.

testimonio laeserunt. Id est, contra eum testimonium dixerunt. SYLV.

non modo non occultari. Idem nonus, *non modo occultari;* et sic saepe locutos auctores, diu est quod ostenderunt Critici; verum parcius deinde laudabo nonum nostrum, ne si lectioni eius nimium incumbam, finem nunquam ponam huic operi. Hoc tantum obiter dicam, ex eo codice sexcentis vocibus nunc meliorem, nunc leviorem fieri posse Tullium nostrum. Reperi autem inter libros Bibliothecae Othonis Henrici Electoris Palatini, memoriae sempiternae Principis, vel ea de causa, quod ipse auspicium fecit adornandae librariae hoc aevo toto orbe terrarum famosissimae. GRUT. — Sed heu ista famosa Bibliotheca fuit! In bello Germanico periit, et direpta fuit, ac magna pars in Vaticanam translata. De ipso loquendi genere *non modo* pro *non modo non*, vide, ut alios omittam, Mureti Var. Lect. X. 7. GRAEV. — Alterum *non* omissum erat in MS. Pal. optimo: idque placebat Grutero. Nec ego spreverim, cum et alibi sic ante *sed etiam* sit. vid. Clav. in *non*, et *modo*. Sed ut, si plures libri in hac forma consentiant, defendam, ita ob unius, quamvis boni, auctoritatem non deleam. ERN. — Bene factum quod *non* illud servavit. Nam h. l. duo mem-

bra sic opponuntur, ut; si posterius tanquam verum sumitur, prior sententia tollatur negeturque necesse sit. Fr.

C A P. III.

abfuisse? Neminem ex iis, qui nefarium patriae bellum indixerant, defendi. Manut. — *intelligis afuisse.* Sic edendum curavi, a codice manuscript. admonitus, in quo est *affuisse: afuisse* autem dicebant veteres, non *abfuisse*, ut saepe iam diximus: quod scioli isti inducere in animum non possunt. Lambin. — Lambini rationem probavit Beck. Fr. — Sic infra cap. 5. [§. 14.] *Ut mirari Torquatus desinat, me, qui Autronio afuerim, Sullam defendisse.* quo loco Wopkens. Lect. Tull. I. 6. [pag. 16. ed. meae. Fr.] recte tuetur illud II. Acad. 11. [§. 36.] *facile, etiam absentibus nobis, veritas se ipsa defendet.* Ita saepe verbum *abesse* in hac orat. usurpatur, ut supra [§. 5.] notavit Sylv. Gar.

§. 9. *simplex officium.* Id est, unum ab omnibus observatum, [non multiplex,] ut videlicet nemo civis bonus quemquam ex coniuratis defenderit; P. Sullam et Hortensius et multi viri clarissimi defendant, quod eum in coniuratione sciant non fuisse. Sylv.

bonorum omnium causa. Hunc verborum ordinem Lambinus invexit, quem ad omnes Gruterus postea propagavit. Verum, ne quis temere Lambinum egisse putet, numeri causa, qui melior ipsi videretur, quando nec ille nec alius quisquam MSos allegavit, ita prorsus ea collocari verba in cod. Barb. et in Ven. priore testabor. In ceteris editis vulgabatur, *omnium bonorum causa.* Gar.

quod admirere. Ne cui forte magis arrideat, quod in MSo Dresd. Graevius invenit, egoque insuper in ed. MCDLXXXIII. *mirere*, consulendum monebo Wopkensium esse Lect. Tull. II. 1. [pag. 67. ed. meae. Fr.] et Burmann. in comm. novo ad Phaedr. I. 12. 5. Sic infra cap. 7. [§. 22.] *non tam est admirandum, regem esse me.* Ita etiam cap. 10. [§. 31.] Gruterus restituit, *vehementer admiror*, tacitus ille quidem, sed non sine MSis, ut puto:

id ipsum etenim habere vidi codicem Barberinum, et ed. Ven. MCDLXXX. Omnes ante ipsum editi, cum ab eo, quem dixi, libro discesseris, *dabant miror:* sed Grutero eum recentioribus paruit iure Graevius, qui de suorum codicum consensu testari videtur in V. L. dum editiones dissentire tantum adnotat. Gar.

causa mea propria. Id est, quam ego solus suscipiam. Sylv. — Pro eo mox dicit *praecipuum* et §. 12. *Communi* opponitur *proprium* et *praecipuum*, quod qui nunc Latine scribunt, *peculiare* dicunt. Vid. Matth. ad Cicer. epist. select. pag. 238. ed. 3. Fr.

tempus agendi. In investiganda coniuratione. Sylv.

neque enim princeps tunc ad salutem esse potuissem. Forte: *neque enim princeps tunc ad salutem aliis esse potuissem.* Lamb.

partiendae invidiae. Sententia est: quod dicam in opprimenda coniuratione me fuisse principem, et omnes bonos cives fuisse comites, id non dico, ut mecum invidiam subeant, sed ut cum his gloriam communicem. Sylv.

impertio. Cod. Barb. *impertior*, ed. MCDLXXXIII. *impartio.* Gar. — Licet usitatius activum sit, non est tamen, cur deponentis forma vituperetur, quae fortassis etiam h. l. restituenda est, ut exstat pro Arch. P. §. 10. Fr.

§. 10. *testimonium dixisti.* Id dicendi genus ut frequens est, ita *ferre testimonium* nisi vulgo non dicitur. quamvis id dixerit Callistratus Iurisc. lib. Digest. 22. de Testibus: *An is*, inquit, *inimicus sit, adversus quem testimonium fert?* Sylv.

fidem tribui. A vobis scilicet. Sylv.

non solum — verum. Sic dixit, quia posteriori membro maiorem vim tribuit, ita ut emineat prae altero. Contra si dixisset *verum etiam*, utrumque membrum pari esse vi et gravitate voluisset. Cf. quae scripsi ad Quinctiliani X. 1. §. 8. Fr.

auctoritatis. Quae esse debet in eo, qui interfuit, qui cognovit, qui particeps et consilii fuit et timoris: haec enim sunt eiusmodi, ut ei fides habenda videatur. Manut.

CAP. IV.

§. 11. *Lepido et Tullo Coss.* Ut sequentis anni consules Cotta et Torquatus Kalendis Ian. in Capitolio occiderentur, statimque Catilina et Autronius, correptis fascibus, descenderent; id autem consilium Catilinae, cum eius ratio, quia repetundarum quaerebatur, habita non esset, inivit cum Pisone et Autronio, circiter Non. Decembr. De die caedis consulum, id est, de Kalendis Ian. sic infra [cap. 24. §. 68.] *De quo etiamsi quis dubitasset antea, num id, quod tu arguis, cogitasset, interfecto patre tuo consule descendere Kalendis Ian. cum lictoribus?* E Sallustio [Catil. cap. 18.] autem non solum de die caedis, verum etiam de tempore, quo Catilina cum Pisone et Autronio consilium communicavit, intelligitur; cum enim de Cn. Pisone, propter inopiam et malos mores novarum rerum cupido, locutus esset, cum hoc, inquit, Catilina et Autronius, circiter Non. Decembr. consilio communicato, parabant in Capitolio Kalendis Ian. L. Torquatum et L. Cottam consules interficere, ipsi, fascibus correptis, Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere. MANUT. — *una, quae Lepido et L. Tullo Coss.* M. Lepido et L. Tullo Volcatio Coss. circiter Nonas Decembr. P. Autronius, L. Catilina et Cn. Piso, ut ante dixi, coniuraverunt interficere in Capitolio Kalend. Ian. L. Torquatum et L. Cottam, cum inirent Consulatum, ut Autronius et Catilina per vim Consules essent. De ea coniuratione Sallust. plura scribit. Anno eo, quo Volcatius et Lepidus Coss. erant, Cicero praetor fuit: ut ait Asconius. SYLV. — *quae Lepido et Tullo Coss.* Liber manuscr. habet, *et Volcatio Coss.* ego tamen nihil muto, existimans, hoc *Volcatio* natum esse ex aliqua adnotatione: cum horum consulum cognomina dumtaxat ponuntur. Quodsi praenomina quoque et nomina ponantur, erunt *M. Aemilius Lepidus et L. Volcatius Tullus*, qui consules fuerunt anno ab urbe condita DCXXCVII. LAMB. — *quae Lepido et Volcatio Coss.* Excludere non potui hanc scripturam subnixam fide editionum veterum omnium, Palatinorum novem,

denique libris S. Victor. Busb. Grut. posterius publicati, *Lepido et L. Tullo Coss.* non male; sed unde id natum? GRUT. — *Volcatio* habetur etiam in omnibus libris, quos ego inspexi. GRAEV. — Etiam cod. Barb. cum tot aliis, *Lepido et Volcatio Consulibus.* Praenomen Volcatii, quod contra Graevii mentem ac MSos irrepserat, delevi. Vix tamen erit credibile, alterius nomen Consulis, alterius poni cognomen. Sall. Cat. XVIII. 2. *M. Lepido, L. Tullo Consulibus*, ubi errore Graeviana typographico deceptus Cortius ex Tullio male adfert, *Lepido et L. Volcatio.* Lambinus ad usitatam formam dedit melius, *Lepido et Tullo*, quemadmodum ipse posuit Cicero I. in Catil. 6. [§. 15.] Ego, ne tot codices contemnere videar, ita eos dicam posse defendi, ut nomina Consulum, quibus illi solebant homines in familiari sermone appellari, posita existimentur. Constat enim, cum essent multae in Aemilia gente familiae, *Paullos*, *Lepidos*, *Scauros* etc. dici consuevisse, non *Aemilios*. Contra L. Volcatium Tullum communiter fuisse *Volcatium* appellatum, non *Tullum*, ex his Ciceronis locis confirmari fortasse potest: *Cum L. Volcatius Consul* etc. fragm. in tog. cand. [fragm. XV. p. 524. ed. Orell.] *Vidit hominem sibi maxime coniunctum, egregium virum, L. Volcatium.* pro Planc. 21. [§. 51.] *Praeter Servilium* etc. *et Volcatium, qui, Lupo referente, Pompeio decernit, et Afranium, qui adsentitur Volcatio.* I. ad Divers. 1. [§. 3.] *Ut imitarer Volcatium aut Servium.* VII. ad Att. 3. [§. 2.] ibidemque XII. 21. [§. 1.] inter Consulares mentio fit *Torquati, Lepidi, Volcatii, Figuli* etc.: et sic etiam II. ad Qu. Fratr. 1. [§. 1.] Alii quoque licet cognomen haberent, nomine potius indicabantur, ut Q. Hortensius, qui perrare, ut II. ad Att. 25. *Hortalus* dicitur, quod erat illi cognomen. Idem *Servio Sulpicio Rufo* accidit: ac, ne plures enumerem, id tantum addam, quod lectionem huius loci a MSis plurimis profectam confirmare maxime videatur. *Q. Pompeius Rufus* est apud Tullium in Bruto 56. [§. 206.] qui a viris doctis idem putatur esse, qui anno DCLXV. Consul cum Sulla fuit. Sic tamen Tullius ipse II. Agr. 15. *L. Sulla, Q. Pompeio con-*

sullibus: neque aliter Obsequens cap. 116. Cassiodorus [in Chronico pag. 682. ed. Bressaei.] Velleius II. 17. [§. 1.] Plutarch. in Sull. cap. 6. etc. Alia quaerenti exempla Consulum non defutura putaverim, qui nomine sint appellati, dum cognomen haberent, neque tamen idem in collega servetur. Quid enim, quod in hac ipsa oratione cap. 20. [§. 56.] omnium consensu Codicum legitur, *L. Iulio, C. Figulo Coss.?* Et ille tamen passim *L. Caesar* appellatur, eundemque Consulatum sic notat Sallustius Cat. XVII. 1. *L. Caesare, C. Figulo Coss.* sane diligentius, nisi ea potius superstitio sit. Gar.

patris tui. Consul fuit a. u. c. 688, cum L. Aurelio Cotta. Fr.

consiliis. Cum de priore coniuratione quaereret. Sylv.

credo, quod nondum etc. Haec ironice dicta videntur Wolffio, utpote quibus contineatur lenis Torquati patris reprehensio, quod Ciceronem interesse suis consiliis tum noluerit: nam licet Cicero tum nondum peteret consulatum, ea tamen iam tum egisse atque paravisse, quae ad consulatum consequendum conducerent. Fr.

usus. Id est, familiaritas. Sylv.

ad propositum mihi finem honoris. Id est, [ad summum honorem,] ad Consulatum, quem biennio post Praeturam se dicit adeptum, in oratione in Rullum ad Quirites. [de leg. agr. II. cap. 2. §. 3.] Sylv.

mea ambitio. Id est, Consulatus petitio. Sylv. — *quod mea me ambitio.* Scribendum sine *mea* ex nono, *quod me ambitio;* nam alii scripti, *quod mea ambitio*, absque *me*. Grut. — Etiam cod. Barb. et ambae Ven. *mea ambitio*, et vere dedisse arbitror Palat. nonum. Vide V. L. Gar. — *mea me amb.* tanquam numerosiorem scripturam tuetur Beck. Neque *mea* neque *me* pronominibus h. l. facile carere posse mihi videmur. Fr.

forensis labor. Quem in amicis defendendis suscipiebam; defendere enim, quam accusare, magis laboriosum est. Sylv.

§. 12. *defensum ab eo est.* Crimen hoc Hortensius a Sulla removit. MANUT. — Propulsatum est ab eo. ut statim [§. 13.] *Mei consulatus autem tempus et crimen maximae coniurationis a me defendetur.* et in III. de Officiis [cap. 18. §. 74.] *Etenim si is, qui non defendit iniuriam, neque propulsat a suis, cum potest, iniuste facit.* GRAEV. — Cf. Matth. ad orat. pro Rosc. Amer. §. 1. FR.

§. 13. *Qui vobiscum in consilio fuerunt.* Recte omnino Lambinus, *qui vobis in consilio fuerunt.* Cum illi videam codicem Barb. et utramque Ven. plane adstipulari, satis me auctoritatum habere arbitror ad optimam et veram lectionem restituendam. GARATON.

conflari. Id est, fieri. De hoc verbo plura scribimus in primam Invectivam Ciceronis. [in Catilin. cap. 9. §. 23.] *Creare* periculum in re eadem dici, pro Corn. Balbo [cap. 18. §. 41.] scribimus. SYLV.

gravia. Id est, vera, et quibus creditum est. SYLV.

se non crimine coniurationis, ne adessent ceteris. Crimine coniurationis accusatur Sulla, et a bonis tamen viris defenditur: eodem crimine accusati alii sunt, nec tamen defensi: quia de hoc bene existimatur, de aliis non item. Qui igitur huic adsunt in crimine coniurationis, ostendunt se, cum ceteris non adfuerunt, non crimine coniurationis, sed hominum maleficio deterritos esse. MANUT.

fortuito. Id est, casu, et ut vulgo dicunt, ex casu fortunae. ut libro de Legibus I. [cap. 8. §. 25.] *Itaque ad hominum commoditates et usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata videantur.* et libro de Divinatione secundo [cap. 28. §. 61.] *Quorum omnium causas si a Chrysippo quaererem, ipse ille divinationis auctor nunquam illa dicet facta fortuito, naturalemque rationem omnium reddet.* et lib. Epistolarum Familiarium V. [ep. 8. §. 3.] *Tibi persuadeas vehementer velim, non me repentina aliqua voluntate aut fortuito ad tuam amplitudinem meis officiis amplectendam incidisse.* Sed ut *sortito* et *sortitu* dici

alio loco scripsimus, ita *fortuitu* quoque Cicero saepe dicit, ut in lib. de Offic. I. [cap. 29. §. 103.] *Ne quid temere aut fortuitu, inconsulte negligenterque agamus.* et libro de Divinatione II. [cap. 7. §. 18.] *Nihil est tam contrarium rationi et constantiae, quam fortuna: ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu et fortuitu futurum sit.* Sylv.

nec temere. Id est, nec sine causa. Sylv.

de quo aliquid scire atque existimare. Franc. et ed. prima, aliaeque vetustiores, *de qua aliquid scire ipse atque existimare.* Hanc vocem *ipse* merito ex Victoriana revocavit Cl. Iacobus Gronovius, cum in Lambiniana, Gruteri, aliisque esset omissa. Graev. — Etiam binae Ven. Hervag. et Manut. agnoscunt vocem *ipse*, eamdemque firmat denique cod. Barb. Garaton. — *existimare* est i. q. iudicare. Vid. Ruhnkenii Opusc. Vol. II. pag. 523. Friedemann. Fr.

CAP. V.

§. 14. *nulla suspicio.* Henr. Stephani liber, *nulla denique suspicio;* sed voculam eam Pall. non agnoscunt. Gruter.

veritate aperuisset. „*veritate* membrorum aequandorum causa addidit Cicero. Est pro *ad veritatem, vere,* quum et antea *consilio* et post *magnitudine animi* id significent, cuius ope illa effecta erant. Matthiae. — At si *veritate* est *vere*, ac nihil impediat, *consilio* et *animi magnitudine* quominus *prudenter* et *fortiter* explices, satis apparet *veritate* alia de causa additum esse, quam vult vir praestantissimus. Fr.

suspicatum esse. Prior Ven. *suspicatum fuisse.* Gar.

qui Autronio afuerim. Sic reperi scriptum in libris duobus manuscr. neque vero dubium est, quin ita sit legendum; *afuerim* autem, id est, ut vulgus loquitur, *abfuerim.* Lamb. — *afuerim* etiam h. l. cum Lamb. scripsit Beck. Fr.

§. 15. *Quae enim Autronii.* Ostendit causam, cur Sullae adsit, cum Autronio defuerit. Sylv.

ambitus iudicium tollere. Autronius de ambitu damnatus, consulatu excidit. Idcirco cum Catilina coniuravit, ut designatos Coss. Cottam et Torquatum Kalend. Ianuariis interficerent, cum inirent magistratum, ut ipsi fascibus correptis per vim Consules essent, ut ante diximus. [ad cap. IV. §. 17.] Itaque Autronius, qui de ambitu damnatus erat, illam iudicum sententiam tollere conatus est. SYLV.

tollere. Tollere, disturbare, rescindere iudicium, aut rem iudicatam, in eadem re dicimus, pro eo, quod vulgo dicunt, quassare et annihilare sententiam iudicis. ut postea [cap. 22. §. 63.] *Caecilius, qui id promulgarit, in quo res iudicatas videbatur noluisse rescindere.* Infirmare quoque iudicium in eadem re alibi dicit. SYLV.

tumultu. Id est, multitudine, tanquam ad bellum domesticum gerendum. SYLV.

lapidatione. Id est, lapidum iaculatione; ut in lib. de Oratore II. [cap. 47. §. 197.] *Habueras enim tu omnia in causa superiora: vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribuniciam in Caepionis gravi miserabilique casu in iudicium vocabas.* Est autem *lapidare*, lapidibus pugnare: quod etiam *lapidationem facere* Cicero dicit pro P. Sestio [cap. 15. §. 34.] *Iisdem consulibus arma in templo Castoris palam portabantur, gradus eiusdem templi tollebantur, armati homines forum et conciones tenebant, caedes lapidationesque fiebant.* Quo in loco lapidationem pro trucidatione lapidibus facta dicere videtur, ut in libro epistolarum ad Quintum fratrem secundo [ep. 1. §. 2.] *Is cum graviter de Clodianis incendiis, trucidationibus, lapidationibus questus esset, sententiam dixit. Facere lapidationem saxis* idem dixit pro Domo sua [cap. 5. §. 12.] *Inde saxis facta lapidatio est. Lapidare hominem*, ut arbitror, non dicitur. T. Livius *lapidare* pro eo, quod est lapidibus pluere, saepe dicit; ut lib. XXVII. [cap. 37. fin.] *Novendiale sacrum fuit, quia Veiis de coelo lapidaverat.* Idem quoque lib. XXIX. [cap. 14.] *lapidatum esset* impersonale dixit: *Novendiale sacrum, quod de coelo lapidatum esset, factum.* Idem quoque dicit *lapidibus pluere.* [ut lib. XXXVI. cap. 37. et al.] SYLV.

si sibi suus pudor. Cod. Henr. Steph. *quum sibi* etc. GARATON.

non prodesset. Quae non profuit. MANUT.

ita se gerebat. Damnati de ambitu in exsilium non ibant ante Ciceronem consulem; ille damnatis exilium lege lata irrogavit; pro Murena [cap. 32. §§. 67. 68. Cf. Ernestii Clav. Cicer. pag. 41. sq.] MANUT.

amplissimis ordinibus. Id est, Senatui et equestri ordini. SYLV.

calamitate. Id est, condemnatione. SYLV.

§. 16. *quod flagitium — admisit.* Cf. Cat. II. 4. §. 7. FR.

noctem solitudinemque. In quibus consilia de coniuratione agitarent. SYLV.

§. 17. *eiecto sive emisso.* Correctio est, ad evitandam invidiam. SYLV. — Cf. Catil. II. pr. FR.

tubas, falces, signa, legiones. Falces, ut ait Non. Marcellus, [pag. 556, 20. Mercer.] *armorum genera erant, murorum oppugnationi apta.* Sisenna: *Falces iniectas comminuunt, pluteos propius collatis harpagis deiiciunt, mittunt e turribus.* Vegetius lib. IV. [de re milit. cap. 14. pr.] *Falcem* esse dicit *trabem, quae adunco ferro praefigitur, ut de muro extrahat lapides.* Ea in testudine muris applicari solet. SYLV. — Ant. Augustinus deleta interpunctionis nota legit, *signa legionis.* quod autem nihilo magis, aut minus etiam servit: nam post enumerationem instrumentorum, milites denique ipsos subiungit: deinde omnes sunt numero multitudinis ad aggerandum scelus. F. URSIN. — Pal. nonus *fasces*, probabili emendatione, sed forsan minus vera; nam falcariorum meminit Noster I. Catilin. cap. 4. [§. 8. ubi vid. Bouher. infra cap. 18. §. 52.] sed quid si *falces* comprehendantur nomine armorum, quod praecessit? GRUT. — Habent certe *falces* cum cod. Barber. omnes editi, quorum est mihi copia, idque defendit Bouherius ad l. c. in Catil. quod ego tamen alia ratione defendo. Nam fasces dico, quibus Catilinam usum esse constat, ab Autronio post eius discessum mitti non potuisse, cum eos ipse Catilina

praemiserit. Qua in re non utar Appiano et Plutarcho, quorum locos habes apud Cortium ad Sallust. Catil. XXXVI. 1. sed locupletissimo ipsius Tullii testimonio II. in Catil. 6, [§. 13.] *Cum haesitaret, cum teneretur, quaesivi, quid dubitaret* (Catilina) *eo proficisci, quo iam pridem pararat, cum arma, cum secures, cum fasces, cum tubas, cum signa militaria, cum aquilam illam* etc. *scirem esse praemissam.* Autronius ergo alia arma etc. Catilinae submisit. Fasces autem alios praemissis addere non oportebat. Explicatur autem ex Tullii loco ille Sallustii, quem indicavi, ut mirer id ex tot interpretibus fecisse neminem: *Sed ipse* (Catilina) *paucos dies commoratus apud C. Flaminium Flammam in agro Arretino, dum vicinitatem antea sollicitatam armis exornat, cum fascibus atque aliis imperii insignibus in castra ad Manlium contendit.* Quae itaque Catilina praemiserat, prope Arretium est consecutus, aliaque subinde ab Autronio cum legionibus accepit. Sed ne legiones fuisse ab Autronio transmissas, verum putemus, Sallustius facit, quem confer cap. 56. Aut itaque res hic supra modum augetur, aut mendosus est locus. GARATON. — Voc. *legiones* mihi videntur recte delevisse Wolff. et Matth. FR.

Lentuli poena. Id est, cum de Lentulo sumtum supplicium est. SYLV.

convertit se aliquando ad timorem. Id est, ipse audax tandem coepit timere. SYLV.

neque — et. Cf. Catil. II. 10. §. 22. pro Mil. 23. §. 61. Heusing. ad Offic. pag. 161. not. r). MATTHIAE. — Vid. adn. m. ad Quinctilian. X. 1. §. 2. et praestantissimum Ochsner. ad Ciceron. Eclog. pag. 156. ed. 3. FR.

huius affines suspicionis. Id est, ad quos coniurationis suspicio pertineret. *Affinis suspicionis* et *suspicioni* dicitur. SYLV.

locus est ipse. Ignobile municipium, exigua frequentia, nullis opibus fuisse constat: siquidem consolari potius calamitosorum animos, quam inflammare poterat. MANUT.

calamitosorum. Id est, damnatorum. SYLV.

cum scirem. Videtur glossae simile: nisi numeri explendi caussa a Cicerone additum est, qui sublato hoc languidior videtur. Ernest. — At Cic. *si non sciret*, poterat illum defendere; verum *cum sciret* cognossetque illud maleficium, non poterat. Fr.

§. 20. *Marcellos, pro huius periculis lacrymantes adspicere, neque.* Lacunam explevi ex membranis Erfurd. tanto promtius, quod totidem apicibus exstarent in Palatino nono. Meminit et huius loci noster Guilielmius ad Truculentum Plautinam cap. 5. Grut. — Ante Gruter. omittebantur vv. *pro huius periculis lacrimantes adspicere*, quae ita ob concinnitatem necessaria dicit Beck., ut recte Grutero omnes obsecuti sint. Fr.

M. Messallae. M. Messalla Niger orator fuit, quem cum M. Marcello Asconius numerat inter Scauri patronos. Sylv. — Fortassis est idem Messalla, qui infra cap. 14. memoratur, qui quidem a. u. 693. cum M. Pupio Pisone consul fuit; sed id ut est verisimile, ita pro certo affirmari posse negat Wolff. Fr.

causa. Cum bona causa esset P. Sullae, non ut Autronii. Ad lenitatem igitur et misericordiam ipsa me natura, causa non adversante, adhortata est. Manut.

Suscepi — suscepi. Huius ἐπανόδου Garaton. ad orat. pro Mil. cap. 26. (§. 70.) haec profert exempla: pro Mil. 8, 21. pro Sull. 16, 46. Verr. V, 45, 119. 59, 154. Cf. infra §. 80, De *suscipiendi* verbo cf. idem ad orat. pro Mil. cap. 24. (§. 66.) Fr.

nulla suspicio. Haec quoque verba ex Cod. Erf. et Pal. nono addidit Grut. „et explent numeros periodi" inquit Beckius „ita ut non e cap. 5. pr. a librariis repetita videantur." Fr.

ut spero. Id est, ut puto. Sylv.

C A P. VII.

§. 21. *regnum meum.* Impotentem dominationem et nimiam potentiam in republica et in foro. Hoc regnum, praecipue forense, saepe hostes obiecerunt Tullio. Graev. — Cf. adn. m. ad Quinctiliani X. 1. 112. Fr.

sed non permissum. Regnasset enim Catilina, nisi conatus eius repressi essent. *In tanto imperio*, id est, in Consulatu. Est autem argumentum ex remotione. Nam si rex Cicero fuit, fuit Consul, aut privatus: non fuit, cum erat Consul, nec tum etiam, cum erat privatus: rex igitur non fuit. Sylv. — Meliores Pall. non habent negativam: adeo ut verosimile sit restituendum, quod est in Pal. nono, *sed repressum.* Gru — Procul dubio verissime Palatinus ille optimus, ex quo plura loca restituit Gruterus. Nam *non permittere regnum*, pro impedire, ne quis regnet, vix ferent aures Latinae. Sed *reprimere regnum* optime et Latinissime dicitur. In Francii primo desideratur quoque particula negandi, quamvis a manu recentiore sit addita. Graev. — *sed non permissum.* Gruterus in optimo Palatino reperit *sed repressum:* quod recepit Graevius; qui *permittere regnum* recte dici non putat. Immo recte dicitur: sed lenius esse h. l. videtur, quam pro re, et potius pro *mandare*, *tradere in potestatem* dicitur, quam pro *non impedire.* Non audeo decernere. Ernest. — *sed repressum.* Ita Gruterus et Graevius ex optimo Vaticano: cui proxime accedit unus e nostris, in quo scribitur, *sed repulsum.* Vulgati, *sed non permissum.* At plerique Codd. omittunt negationem, quae, interpolato demum loco, addita videtur, Lallem. — Hic et supra cod. Barb. a vulgatis ante Grut. nihil discedit. Garaton. — *non permissum* (sc. Catilinae eiusque sociis) melius respondere verbis *non institutum* existimat Matth. cui *non repressum* ab explicatore videtur profectum, quod si legeretur, significaret, regnum iam fuisse penes Catilinam, sed coërcitum a Cicerone. At est haec oratoris amplificatio, neque illa temeraria; siquidem repressum est regnum, quod impedivit Cic. ne institueretur. Fr.

An tum, in tanto imperio. Ita omnes MSi nostri, requiritque sermonis consecutio; neque aliter vett. edd. neotericae enim, *Quem tum in* etc. Grut. — Legitur in secundo Francii et prima editione: *An tu in tanto imperio:* quod sane non damnem, quamvis *tum* quoque possit exponi. Graev. — Solenne est in tali argumentatione, ut duo mem-

bra iuxta se ponantur, tanquam re ipsa coniuncta, quum tamen inter se opponantur pro, An, quum tum — non dicas me fuisse regem, nunc dicis? Vid. ad Manil. I. 2. Catil. I. §. 3. Cf. infra XI. 32. MATTHIAE.

Quod in quos testimonium dixisti. Ut in Autronium. MANUT. — De coniuratis deprehensis intelligit, in quos Ciceronem dixisse testimonia ex indicio coniurationis licet coniicere. SYLV.

si falsum dixerim. Ex remotione argumentum est. SYLV.

te in eos dixisse. Uterque igitur falsum diximus. MANUT. — Artificiosum est, ut ab adversario factum respondeat, quod ei adversarius obiecerat. SYLV. — P. Manutius interpretatur, tu quoque in eos dixisti, adeoque et ipse falsum testimonium dixisti. Sed id non convenit satis. immo: atque ita idem id fecisti, in quo regnum meum intelligi putas. Mox *probare* delendum censuit Graevius. Sed Torquatus non in dicendo testimonio regnum quaerebat, sed in eo, quod propter testimonium eius damnati sint: Cicero respondet, non in eo esse regnum, si iurati testis testimonium probetur iudicibus. Est ergo *probare* necessarium, et numerosam orationem efficit. ERNEST. — Beckius hanc esse sententiam dicit: de meo testimonio idem valere quod de tuo, utriusque testimonii eamdem esse conditionem ac vim. Matthiae et ego cum Ernest. facimus. FR.

cum verum iuratos dicas, probare. Id est, iudices, qui verum testimonium tum probaverunt, cum eos, in quos dictum testimonium est, damnaverunt. SYLV. — *cum verum dicas, iuratis probare.* Sic hunc locum restitui, coniectura ductus: sententia autem est aperta: hoc tibi, inquit, respondeo, quod ad testimonia attinet, non esse hoc regnare, cum verum dicas, iuratis probare: id est, non esse hoc regnare, eum qui verum dicat iudicibus iuratis persuadere et probare: regnaret is, qui, cum falsa diceret, fidem faceret iudicibus tamen, aut sibi falsa dicenti fidem habere iudices cogeret. LAMBINUS. — *cum verum iuratus dicas, probare.* Est a Palat. nono, et ita intelligebat vulgatum

illud *iuratos* Guilielmius, scriptum scilicet ratione scribendi antiqua: inepte igitur Lambinus, *cum verum dicas, iuratis probare.* GRUT. — Vereor, ut a sciolo hic inculcatum sit *τὸ probare*, qui unde depravate scriptum *iuratos* penderet non videbat. Et sane quo pertineret, non inveniebatur, itaque ad sententiam efficiendam addiderunt *probare.* Sed cum vera lectio ex codice Palatino eruta, delendum erat *τὸ probare:* quod si deleveris, videbis integrum et plenum locum: *Si falsum dixerim, te in eos dixisse: sin verum, non esse hoc regnare, cum verum iuratus dicas.* Si *probare* retineas, subaudiendum, *te probare verum dixisse iuratos:* quod valde absurdum. Sine libris tamen nihil ausus sum refingere. Sed quicunque hunc locum mecum perpenderit, cognoscet me verum dixisse. GRAEV. — Ego quidem Graevium longe minus intelligo, quam Ciceronem. *Probare* nihil aliud est, quam obtinere, ut credatur. Quis hoc ignorat? *Dicas* non refertur ad Torquatum, ut illud superius, *te in eos* (Autronium etc.) *dixisse:* sed pro tertia persona ponitur, ut saepissime. Non regnat is, inquit, qui, cum verum iuratus dicat, id persuadet hominibus, quod ab se dictum est. GARATON.

§. 22. *praeter fidem defensionis.* Quam clienti patronus praestare debet. SYLV.

profugisset. Id est, ut vulgo dicunt, *dufugisset* et patriam reliquisset. Inde *profugus*, qui vulgo dicitur *fugitivus.* SYLV.

si, hos tales viros. *Si* poterat abesse: sed non est vitiosum: verum post *si* interpungendum est, intelligendumque *concedam.* ERNEST.

isne. Tu scilicet. MANUT.

cui innocentes homines. In adversarium retorquet, quod is in se coniecerat. SYLV.

deserit. Nam deserit patronus. SYLV.

id quod tibi necesse non fuit. locus est in Torquatum, cuius ingenio facetiae non conveniebant. ERNEST.

Tarquinium et Numam. Numam Pompilium Sabinum,

et Tarquinium Priscum Etruscum Corinthio patre natum, est apud T. Livium lib. I. [cap. 18. et 34.] SYLV.

peregrinum. Peregrinus is est, qui in civitate est, cuius ipse civis non est. Ciceronem autem peregrinum dixit, quod Arpinas esset. SYLV. — Sic Catilina apud Sallust. 31. Ciceronem *inquilinum civem urbis Romae* vocat. FR.

si ita sum. Ita redundat fere, ut in *si ita est:* sufficiebat *si sum* sc. peregrinus. ERNEST. — Non redundat: *si ita sum,* sc. ut tu vis, ut tu dicis. FR.

quam Consulem Romae fuisse peregrinum. Nullus enim adhuc Consul fuit, qui civis non esset; nullus peregrinus civis est; ego igitur primus et solus fui Consul peregrinus. SYLV.

§. 23. *et addo etiam.* De *et* — *etiam* coniunctis vid. adn. mea ad Quinctil. X. 1. §. 125. pag. 110. pr. adde Cic. de orat. I. 35. §. 164. *nunc vero mea quoque etiam causa rogo.* ubi cf. Mueller. FR.

iterum. A C. Mario [Arpinate] primum, deinde ab ipso Cicerone, liberata coniurationis periculo republica. MANUT. — *unde iterum iam salus huic urbi.* Primum per C. Marium, qui Cimbros et Teutones urbi Romae imminentes delevit: quocirca principes civitatis alioqui ei invidentes, quod novus homo esset, conservatam ab eo rempl. fatebantur; ut ait T. Livius lib. LXVIII.: deinde per Ciceronem, qui coniurationem investigavit, patefecit et oppressit: itaque Q. Catulus princeps Senatus eum frequentissimo Senatu parentem patriae nominavit, ut ait idem Cicero in L. Pisonem [cap. 3. §. 6.] SYLV.

qui ex municipiis veniant. Cicero in lib. de Legibus II. [cap. 2. §. 5.] *Ego mehercule,* inquit, *omnibus municipibus duas esse censeo patrias: unam naturae, alteram civitatis. Ut ille Cato cum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est. Itaque cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris.* SYLV.

cum plurimos haberet inimicos. Nam quater et qua-

dragies causam dixit, nec saepius quisquam postulatus est, ut ait Plin. lib. VII. [Hist. Nat. cap. 27.] SYLV.

Ti. Coruncanio. Qui de Vulsiniensibus et Vulcientibus triumphavit. MANUT. — *T. Coruncanio.* Qui Tusculanus fuit. SYLV. — Coruncanius primus e plebe pontifex maximus factus est, iuris scientia et prudentia civili clarus. MATTHIAE. — Scribendum *Ti. Coruncanio,* ex historia. F. URSIN. — Et sic Pithoei codex. GRAEV. — Perspexit hoc etiam Manutius et emendavit: recentiores tamen maluerunt errare cum pluribus. Nunc denique Pithoeano codici accedit Barberinus, in quo etiam diserte scribitur, *Ti. Coruncanio,* hoc est *Tiberio:* ut MSis duobus auctoribus id defendatur, quod nullam codicum auctoritatem desiderat. GARATON.

nemo Curioni. M. Curio legendum; sermo enim est de veteribus, quos virtus potius quam patria nobilitaverit; nec inter eos referri Curio quisquam potest; at M. [immo M'] Curius, cui Dentato cognomen fuit, quia cum dentibus natus est, Coruncanii aequalis, honoribus et rebus gestis clarus fuit; ter enim consulatum est adeptus: de Samnitibus, de Sabinis, de Lucanis, de Pyrrho rege triumphavit. Hi omnes a Cicerone nominati, ex municipiis in urbem venerunt; honoresque summos, quamquam plebeii generis, adepti sunt. MANUT. — In Codicibus aliis scriptum est, *nemo Curio.* M. Curius, ubi natus sit, legere non memini. Cicero pro L. Murena [cap. 8. §. 17.] hunc novum hominem esse dicit. Idem in lib. de Legibus II. [cap. 1. §. 3.] parvae cuiusdam villae Curianae in Sabinis meminit. SYLV. — Liber antiq. habet, *nemo Curio.* LAMBINUS. — Vide Manut. GRAEV. — Nescio, an codicem Henrici Stephani, qui *Curio* recte dabat, ut vidi etiam in priore Ven., Lambinus intelligat. Gruterus veram lectionem ad omnes propagavit. GARATON.

cum ei multi inviderent. Praecipue nobiles, quia novus homo erat. Eius inimici fuerant L. Crassus, M. Scaurus, omnes Metelli, ut ait Cicero in libro de provinciis consularibus [cap. 8. §. 19.] ubi illa eius verba sunt: *Quis plenior inimicorum fuit C. Mario?* SYLV.

quae non — conveniret. i. e. quae non in m. p. e. caderet. Sic pro Rosc. Amer. 28. §. 65. *in quem ea suspicio conveniret.* quod modo dixerat *ad quem ea suspicio pertineret.* Fr.

C A P. VIII.

pro magnis causis nostrae necessitudinis. Est, pro nostra coniunctione arctiore et amicitia, quae inter nos intercessit. *Causa* saepe est coniunctio, amicitia, necessitudo: vide quae notantur ad orat. pro Quint. cap. 15. Graev. — pro magna nostra necessitudine; quia in necess. causa posita est, cur eum monendum putet. Divin. in Caec. 2. *si mihi cum Siculis causa tantae necessitudinis non intercederet.* Quint. 15, 48. iunguntur *causae et necessitudines veteres.* Epp. Fam. XIII. 19. pro *necessitudine* statim post dicit *causam.* Matthiae.

Non possunt omnes esse patricii. Auctore T. Livio libro I. [cap. 8.] centum Senatores, qui a Romulo constituti sunt, *Patres ab honore, eorumque progenies patricii appellati sunt.* Quibus verbis significare videtur, eos patricios esse, qui ab illis primis Senatoribus originem duxerunt. Per adoptiones tamen fiebant aut esse desinebant patricii. Sylv.

si verum quaeris. Cod. Steph. *et, si verum quaeris.* Garaton.

ne curant quidem. Nempe quia tum patricii nihil admodum praecipui iuris habebant, cum honores etiam plebeiis paterent. Ernest.

anteiri. Gloria superari. Sylv.

§. 24. *honos inveteravit et huic urbi.* In hac urbe tanquam plantatus est, et altas egit radices, ut non facile evelli possit. Sylv.

ex tota Italia delecti. Quid hic sit *delecti*, non assequor. Quomodo candidati ex tota Italia delecti sunt? Vitium hic agnosco: correctionem, quae mihi placeret, nondum excogitare potui. Ernest. — Videtur homines nobilissimos ex variis municipiis indicare voluisse. et pro Sext.

49. *delecti* et *principes* iunguntur. Beck. — In Vatin. cap. 9. §. 23. *delectos viros et principes civitatis*. Fr.

peregrinorum. Id est, municipum, quos appellas peregrinos. Sylv. — Non proprie, sed quos Torquatus per contemtum dicebat cives, qui non essent Romae nati, sed in municipiis, coloniis. Ernest.

ne — suffragiis obruare. Id est, ne pauca habeas pro te suffragia, et ideo contra te plurima. ut Act. in Verr. IV. [act. II. lib. II. cap. 62. §. 151.] *Obruitur enim aratorum testimoniis*. Sylv.

te ex somno saepe excitabunt. Te diligentiorem in magistratus petitione facient, quia tibi metum inferent. Sylv.

nisi virtute vincentur. An *vincantur?* Ernest. — Codd. nihil mutant, atque *nisi* cum Fut. Ind. post aliud Fut. etiam iungitur pro Cluent. 2. Beck.

§. 25. *me et vos*. Cum iudicum causa suam coniungit, ut Torquatum in odium adducat. Sylv.

a Torquato tamen hoc vitium sileretur. Guilielmius inclinat legere, *convitium*, quod ipsum quoque in mentem venit Rubenio lib. I. Elector. cap. 3. sed necessarium non est, ut quid mutemus. Gruter. — Vere tamen Rubenius dicto loco: peregrinitatem, inquit, vitium nisi valde ἀκύρως haud dixeris. Graev. — *Vitium* non in sensu morali dicitur, sed civiliter. In candidato quidem honorum Rom. sine dubio vitium est peregrinitas: quod peregrini proprie ad honores adspirare non possunt. Et vitium dicitur, quicquid facit, ut aliquid non sit legitimum, quicquid reprehendi potest. Igitur non sequar viros doctos, qui cum Phil. Rubenio Elect. I. 3. *convicium* corrigunt, ut Guilielmius, Graevius. *Sileretur* est *sileri deberet*. Ernest. — Scheller. Obss. pag. 99. coniecit, *a Torq. hoc merito sileretur*. Fr. — Defensa verissime omnium codicum lectio est a celeb. Ernesto in Ind. v. *Vitium*. Garaton.

sileretur. Id est, sileri deberet. Sylv.

est enim ipse a materno genere. Propterea tamen municeps Torquatus non est. *Municipem enim* (ut ait Ulpia-

nus lib. L. Digest. ad Municipalem et de incolis) *aut nativitas facit, aut manumissio, aut adoptio. Patris autem, non matris municipium liberi sequuntur, nisi forte privilegio aliquo materna origo censeatur. Tum enim maternae originis erit municeps. ut puta, Iliensibus concessum est, ut qui matre Iliensi est, sit eorum municeps. Etiam Delphis hoc idem tributum et conservatum est. Celsus etiam refert, Ponticis ex beneficio Pompeii magni competere, ut qui Pontica matre natus esset, Ponticus esset.* Sylv.

sed tamen Asculani. Asculum Piceni colonia est. Ea autem colonia populo Rom. invisa erat, propterea quod initio belli Italici Q. Servilius Proconsul cum omnibus Romanis civibus, qui in eo oppido erant, occisus est, ut est apud T. Livium lib. LXXII. Sylv. — Est hoc Asculum Picenum, ad differentiam Appuli. Nunc dicitur *Ascoli*. Graev.

meum non anteponere. Quod mihi iure liceret anteponere. Sylv. — *me meum ante non ponere.* Ita Pall. ita Busq. ita S. Victor. ita Grut. quae tmesis Ciceroni non est nova; vulgata, *non anteponere.* Grut. — Optimam lectionem hanc a Graevio et recentioribus adoptatam ego reperi in ed. MDCLXXXIII. et in cod. Barb. atque optime receptam censeo. Vide Perizon. ad Sanct. III. Minerv. 5. 14. Garaton. — Sic de Offic. III. 17. §. 71. *mala bonis ponit ante.* Nep. Alcib. cap. 8. *Atheniensibus praeter arma et naves nihil erat super.* Adhibetur Anastrophe vel numeri causa vel propter accentum. Fr.

ut non modo homini nemini. Haec magnanimi viri officia esse, Cicero in lib. de Off. I. [cap. 20. §. 66.] scribit. Sylv. — Vid. ad Muren. §. 8. Matthiae.

sentire. Id est, sententiam dicere. Sylv.

Si hoc putas esse regium. Is enim vere rex est, qui cupiditatibus et libidinibus imperat. Hor. II. od. 2. [vs. 9 — 12.]

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas, et uterque Poenus
Serviat uni.

sicut contra rex, qui cupiditatibus est obnoxius, est servus. Boetius: *Nulla potestas compotem sui fecerit, quem vitiosae libidines insolubilibus adstrictum retinent catenis.* Vide Persium Sat. V. et quae ibi notavit Casaubonus. GRAEV.

me regem esse confiteor. Ita dedit ex suis MSis Lambinus, quos citat ad marginem, iisque Barb. noster et editio Ven. prior accedit. Merito Grut. omnesque postea Lambino paruerunt: nam male antea cudebatur, *confiteor esse.* Item supra cod. Lamb. *omnis libidines.* GARATON.

quin tu id potius profers. Quin cum Indicat. est acriter instantis et cum vehementia quadam excitantis. Exempla congessit Cort. ad Sallust. Cat. 20. §. 14. et Drak. ad Liv. I. 57. §. 7. Cf. Kritz. ad Sallust. l. c. et Zumpt. Gramm. Lat. §. 542. et in primis Walch. Emendatt. Liv. pag. 55. De Graecis dixi in adnot. ad Hier. Xenoph. pag. 9. FR.

CAP. IX.

§. 26. *positis.* Id est, collocatis. SYLV.

a Senatu populoque Romano. Recepi siglas codicis Pithoeani et Francii primi, *a S. P. Q. R.* Non enim haec a librariis profecta sunt. GRAEV. — Sunt hae ipsae siglae in priore quoque Veneta et in codice Barberino. GARATON.

honestum otium. Id est, immunitatem, quae sexagenariis iure dabatur. Nondum autem senex Cicero erat. SYLV.

quis non concederet? Cum hoc loco Schol. Ambrosianus, ab A. Maio editus, comparat fragmentum orationis C. Gracchi: *Si vellem apud vos verba facere et a vobis postulare, quum genere summo ortus essem, et quum fratrem propter vos amisissem, nec quisquam de P. Africani et Ti. Gracchi familia nisi ego et puer restaremus, ut pateremini hoc tempore me quiescere, ne a stirpe genus nostrum interiret, et ut aliqua propago generis nostri reliqua esset; haud scio an lubentibus a vobis impetrassem.* FR.

sibi haberent alii honores. Similiter in Catone [cap. 16. §. 58.] *Habeant igitur alii sibi arma.* MANUT. — *sibi haberent honores.* Quid? si legeretur, *sibi haberent alii honores.* SYLV. — In vetere libro scriptum est, *sibi haberent alii honores*, addito nominativo *alii*, qui pernecessarius est, cum aliquo omnino opus sit, nullus autem aptior illo afferri posse videatur. Eodem modo et in libro de Senectute loquutus est: *Habeant igitur alii sibi arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clavam; nobis relinquant* etc. [Sed istic quoque omittendum pronomen est. Vid. Gernhard. qui laudat Lael. §. 18. *Quare sibi habeant sapientiae nomen et invidiosum et obscurum.* Ceterum haec adnotat Matthiae: „*sibi habere aliquid* dicuntur, qui id cum nemine commu„nicant. Hinc etiam formula divortii, qua res suas sibi „habere iubetur uxor Phil. II. 28.“ FR.] At in oratione pro Flacco [cap. 42. §. 104.] etiam verbum *licere* in huiusmodi loco ponitur, cum ait: *Sed cetera sint eorum, sibi habeant potentiam, sibi honores, sibi ceterorum commodorum summas facultates. Liceat iis, qui* etc. HENRICUS STEPHANUS. — Vocem *alii* adscivit Lambinus, haud ita tamen necessariam, ut Stephanus existimavit. Quis enim subaudiri nominativum posse, nunc dubitet? Itaque de Memmianis adnotatum vellem, ut recipi tutius ea vox posset, si reperta in iis quoque fuerit. Nam hic eam nihilominus adesse malim. GARATON.

et quieto frui. Nescio, cur in omnibus, quas inspexi, edd. posita sit interrog. nota. Neque enim haec a verbis, *quis non concederet?* pendent, sed declarant, quid Cicero postulare *possit.* BECK. — Merito hanc rationem probavit Wolff. Orellius exclamandi signum posuit. Ego et ipse Beckium sequi volebam, sed operae non paruerunt. FR.

si operae. Id est, si opera, ut pro Mur. IX. 21. Cf. Verr. V. 47. pr. „Sed Cicero“ inquit Matth. „nomen plu„rale ponit, etsi nulla multitudinis notio in eo inest, quum „nomina alia pluralia adiuncta sunt, ut h. l. *vigiliae.* Vid. „Bremi ad Cic. de Fin. I. 8. pag. 45.“ De seq. *requirunt* (i. e. desiderant) cf. idem Matth. ad or. pro L. Man. §. 6. FR.

rerum gestarum vacatio. Id est, immunitas ob res gestas, vel a rebus gerendis, ut apud Livium lib. XXIV. [cap. 18.] *Nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpserunt, qui quadriennio non militassent, quibus neque vacatio iustae militiae, neque morbus causa fuisset.* Sylv. — *rer. gest. vacatio.* I. e. *vacatio* s. liberatio a labore quocunque, ob res gestas data; sicut Legg. I. 3. *aetatis vacatio.* Sic Matth. Cf. Ernest. in Clav. Fr. — Binae veteres Venetae, Hervag. Naug. et cod. Pith. in V. L. *si me non modo non rerum gestarum vacatio.* sed alteram negationem a Man. et Lamb. olim deletam patet a Graevio in suis reliquis MSis non fuisse repertam. Silet etiam Gruterus, illam omittens, cui omnes iam adquiescunt. Ego quoque illam non desidero, satis existimans praesidiorum esse, ut tuto possit excludi. Vide supra Graev. ad cap. 2. [§. 7.] et nos ad cap. 41. [§. 103.] pro Flacco, ad II. Agrar. 20. [§. 54.] etc. Tantum addo, in cod. Barb. adesse illam quidem negationem, sed a manu coaeva margini adpositam. Formulam porro, *non modo, sed neque*, ad II. in Catil. 4. [§. 8.] illustravimus. Garaton.

tamen hoc regnum appellabitur. Hoc enim a more vivendi regum alienissimum est, qui otium quietemque labori anteponunt. Sylv. — In marg. ed. a. 1584. (ap. Orell.) *Alii* dicuntur habere, *tamenne hoc regn. app.* quod non repudiarem, si, qui tandem essent illi *Alii*, constaret. p. Rosc. Am. cap. 15. §. 44. *Quid? si constat, hunc non modo colendis praediis praefuisse, sed certis fundis, patre vivo, frui solitum esse: tamenne haec attenta vita et rusticana relegatio atque amandatio appellabitur?* de Nat. DD. I. 29. §. 81. *Quid? si etiam, Vellei, falsum illud omnino est, nullam aliam nobis de Deo cogitantibus speciem nisi hominis occurrere: tamenne ista tam absurda defendes?* Fr.

vicarius. Id est, successor, et ut vulgo dicunt, locum tenens. Sylv. — *cuius vicarius qui velit esse.* Qui velit in eius locum succedere, i. e. suscipere idem onus, eadem facere. Sic Mur. 37. [§. 80.] successorem suum in Consulatu

Murenam vocat *vicarium suae diligentiae.* ERNEST. — Cf. Verr. IV. 37. §. 81. pro Roscio Am. §. 111. FR.

Longe abest ab eo regni suspicio. Sic hunc locum restitui, coniectura ductus, partim mutata distinctione, partim hoc addito, *ab eo:* quod scilicet a librario fuerat omissum, propter similitudinem vocis sequentis. Quod si quis legi malit, *longe abest is a regni suspicione*, aeque probabo. Quod autem ille, quem saepe descripsi, putat sic legi posse, *longe ab eo est* etc. nugas agit; neque hoc secunda hac editione, quo demum tempore animus hominis mihi perspectus et cognitus est, id potui dissimulare, quod animadverti et miratus sum, illum ibi fuisse mutum, ubi aliquid dicere debebat: loquacem, ubi eum silere oportebat. Quod si fecisset, minus reprehendendus esset. Nam omnino rectius fecisset, si hoc negotium, quod ab altero occupatum et confectum esset, nunquam suscepisset, neque actum agere, ut dicitur, conatus esset; praesertim cum nihil de suo adderet, neque libros ullos veteres consuluisset, sed tanquam puer a magistris dictata redderet. LAMB. — *Longe abest a me regni suspicio.* Lambinus frustra laboravit in constituenda sententia, distinctione alia verbisque interpositis; veterem scripturam reposui veramque e Turing. et Palatin. nono. GRUTER. — Reliqui rem, ut accepi: sed, unde in hanc citationem addat Gruterus, *a me*, vestigare nequeo. GRONOV. — *a me* e MSS. Erf. et Pal. optimo addi voluit Gruterus: sed operae neglexere. Addidit Graevius. Addidi et ipse, etsi credo etiam abesse posse salvo sensu. Nam facile intelligi potest *hinc*, *a me.* ERNEST. — Res ita se habet. Lectio editorum omnium, si Lamb. excipias, in Gruteriana remansit, quam recentiores etiam secuti sunt. Hanc patet ex Gruteri verbis eum restituere noluisse: non enim omnium consensum allegat, sed satis ostendit, quorum codicum peculiarem lectionem adoptaverit. Itaque Graevius probe intellexit, cum vetus omnium lectio sit: *Longe abest regni suspicio:* ei lectioni optimos illos Gruteri codices addere duas voculas, *a me*, quas operarum negligentia in ed. Grut. praetermissas ipse probavit, recepitque unus ex omnibus

Haec porro fuit Lamb. distinctio: *Cuius vicarius* etc. *inveniri nemo potest, longe abest ab eo* etc. Sed ego, quamquam ferri aliquo modo vulgata potest, a Graevio sic non discedo, ut copulam tantum addendam putem, quam ex suo codice obtulit H. Stephanus, qua demum addita sermo melius cohaerere, et inferiora cum superioribus mihi videntur aptius colligari. Ita ergo ex MSis optimis locus constituitur: *Longe abest a me regni suspicio et si quaeris* etc. Garaton. — Abesse copulam h. l. melius putat Wolffius. Fr.

§. 27. *replices.* Id est, revolvas. Transtulit autem ex more veterum, qui cum in foliis arborum vel corticibus scribebant, folia aut cortices ordine dispositos volvebant aut plicabant: cum vero legere volebant, evolvebant aut replicabant. Sylv. — Cf. de Legg. III. 14. *replicare memoriam temporum.* Fr.

annalium memoriam. Id est, libros annalium. Principio Romae non erant historiarum scriptores; ut enim ait Cicero libro de Oratore II. [cap. 12. §. 52.] *Erat historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cum rei memoriaeque publicae retinendae causa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mutium Pont. Max. res omnes singulorum annorum mandabat litteris Pont. Max. efferebatque in album: et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi.* iique Annales Maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta suorum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Annalibus Pontificum Max. Cicero libro de Legibus I. [cap. 2. §. 6.] negat quidquam esse iucundius. Idem illos nominat primos historiae Romanae scriptores Latinos, Fabium Pictorem, Catonem, Pisonem, Fannium, Venonium. Soli autem tum annales erant, cum M. Manlius affectati regni damnatus de saxo Tarpeio in Tiberim praecipitatus est, ut est apud Tit. Liv. lib. VI. [cap. 20.] Sylv.

ex domesticis imaginibus invenies. H. e. inter maiores tuos invenies. Schuetz. — M. Manlium significat, qui de-

iectis ex Capitolio Gallis, postea, cum in suspicionem regni venisset, de rupe Tarpeia deturbatus est. MANUT. — Amarulentum scomma est. Idque artificiosum est, ut in adversarii familia dicat fuisse, quod sibi ab adversario obiectum sit. SYLV.

credo. Ironice. Vid. infr. §. 88. ad orat. pro Rosc. §. 52. [ubi sic dicitur *opinor.*] Catil. I. §. 5. MATTHIAE.

spiritus. I. e. superbiam et animi elationem. SYLV.

immortalibus. Ut pro P. Sestio [cap. 40. §. 86.] *Tu hoc loco laudas Milonem, et iure laudas; quem enim unquam virum tam immortali virtute praeditum vidimus?* SYLV.

adeptum fore. Hoc dicendi genus Ciceroni non omnino infrequens, contra Grammaticorum praeceptiones est. Nam *adeptum esse* dicendum praecipiunt. SYLV.

si ex hoc — redundarit. Cf. Catil. III. cap. 12. Similem sententiam significare videtur etiam Catil. III. §. 28. MATTHIAE.

§. 28. *et in qua urbe verser, intelligo.* Addidimus ex Turing. et Palat. nono binis membranis *verser.* antea enim iisdem iubentibus rescriptum *redundarit* pro vulgato *redundabit.* GRUT. — In hac oratione aliunde pendente non est Indicativo [*redundabit*] locus. BECK. — A vulgatis ante Grut. ab eiusdem reliquis et a Graevianis MSis non discedit Barb. Sed infra, ubi ex his MSis emendatus est Tullius, et nihil adnoto, Barberinum testor cum plerisque facere. Idem dicito, si quid supra eiusmodi est. GARATON.

a vestris cervicibus. Id est, ab interitu vestro. SYLV.

nisi vero paucos. Res enim tanta a paucis confici non potuisset. SYLV. — De particc. *nisi vero (nisi forte)* cf. §. 7. et ad Quinctil. X. 1. §. 70. 2. §. 8. FR.

CAP. X.

§. 29. *illis meis praesidiis.* Bonorum omnium studiis. MANUT.

suam salutem cum mea coniungunt. Id est, volunt vivere et mori mecum, nec me mortuo se vivere posse arbitrantur. SYLV.

consolare te. Si meis invides bonis, consolare te odio improborum omnium contra me unum. Cum Torquatum videatur accusare, se ipsum laudat. MANUT.

furorem consceleratum. Hoc dicitur antea, *voluntates consceleratas.* SYLV.

§. 30. *At vero quid ego miror.* Pantagathus legit *mirer.* F. URSIN.

cum L. Torquatus. A minore ad maius ostendit, nihil mirandum esse, si de se improbi obloquantur, cum etiam L. Torquatus probus adolescens de eo improbe loquatur. SYLV. — *cum L. Torquatus primum ipse.* Legendum est, *cum L. Torquatus ipse primum*, ut facile monitus lector sentiet. ERNEST. — Etsi verba ita struenda sunt, tamen non necessarium fuit, ita poni, codicibus non addicentibus. BECK.

fortissimi consulis. Qui fortissimus anno suo [688.] consul fuit. MANUT. — Vel *Consularis* legendum est, vel *Consulis* intelligendum est, eius, qui Consul fuit. SYLV. — Sententia haec est: filius eius, qui fortissimum sese in consulatu praebuit. Neque enim consularis h. l. praedicatur fortitudo, sed consulis. FR.

suppressa voce. Id est, submissa. Nam *pressa voce* et *suppressa*, et *presse*, et *leniter* loqui dicimus: *submissa* aut *parva*, aut quod vulgus dicit *bassa voce*, non dicimus; uti contra, *magna* et *clara voce* dicere, aut *clare* loqui dicimus, non *alta voce.* SYLV.

de scelere. Id est, de coniuratione. SYLV.

tantummodo ut vos. Non ut eos, qui circum iudicium stabant. MANUT. — Scribendum *tantum modo ut vos*, i. e. ut ait Matth. *tantum* (τοσοῦτον) *dicens*, *ut.* Vid. Heinrich. ad orat. pro Tull. pag. 63. et Beier. pag. 12. FR.

qui ea probatis. Qui vera esse dicitis. MANUT. — Quas de scelere diceret. SYLV.

de supplicio. Quod in carcere, quod Tullianum appellatur, suspensus sit. SYLV.

§. 31. *absurdum.* Id est, improbum.

quae leviter dixerat. *Suppressa voce*; carpit Torquatum, ita de coniuratis agentem, ut eorum causae favere videretur: cum tamen Sullam coniurationis accusaret. MANUT. — Legendum esse *leniter*, satis doceri potest etiam illo Cic. ex lib. de Offic. I. [cap. 37. §. 133.] *In voce duo sequamur, ut clara sit et suavis. Utrumque omnino a natura petendum est; verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio presse loquentium et leniter.* SYLV. — Videtur legendum *leniter* pro *leviter;* ita enim I. de Offic. [l. l.] locutus est: *imitatio presse loquentium et leniter.* F. URSIN. — Hoc est, submisse et presse; neque opus ut invitis libris intrudat Lambinus *leniter;* idem utroque significari docet Catullus [carm. LXXXIV. 8.] *Audiebant eadem haec leniter et leviter.* GRUT. — *Leviter audire* bene dicitur, sed *leviter dicere* pro suppressa voce dicere, merito improbatur Sylvio [„mihi non item. Ovid. ep. III. 80. *Et leviter dicas: haec quoque nostra fuit.*" verba sunt Ernestii, quae margini ed. Graev. adscripserat. FR.] et Fulvio, cuius coniectura perplacet; sed repugnantibus libris nihil muto. GRAEV. — *quae leniter dixerat.* Ita Ursini liber vetus et codices duo e nostris, pro vulgato *leviter.* LALLEMAND. — *leniter* dedi pro vulgato *leviter*, quod res requirit et coniectura assecuti sunt et alii, Ursinus, Lambinus. Quid opus coniectura? *leniter* iam editio Iunt. habet. ERNEST. — Ernestius h. l. repugnat iis, quae ipse in Clav. Cic. decrevit. FR. — *quae leviter dixerat.* Ursinus emendat ex coniectura, non ullo ex libro; verum duo Lallemandi codices, tertiusque iis consentiens Barberinus, mihi sufficerent, cum ista perpetuo commutentur, nisi et illos mendosos et unice veram esse vulgatam loci sententia declararet, atque adeo illa ipsa, quibus emendatores utuntur, verba Tulliana. Quid est enim *leniter loqui* apud Tullium, nisi *suaviter*? Asperitati vocis atque pronunciationis lenitas opponitur: ut etiam penes Catull. LXXXIII. [84.] 8. eo versu, quo vulgatam Gruterus egregie defendit. Arrius deridetur, verba continuis adspirationibus vasta reddens et aspera. Eius discessu, inquit,

aures hominum recreatae audiebant eadem verba *leniter*, h. e. suaviter pronunciata. Non tribuit Cicero Torquato laudem *presse loquentium et leniter*; nihil enim ab hoc loco est magis alienum; verum *suppressa voce* illum dicit esse locutum, ut ipse pro Flacco 28. [§. 66.] *Submissa voce agam, tantum ut iudices audiant.* Hoc ipsum est fere, quod Catullus addit: *et leviter*; neque enim synonymum posuit, ut Grut. putavit: sed alios innuit voce uti decora, quae *levi* submissiorique sonitu ad aures adlaberetur, non illa vehementi et elata, qua gaudebat Arrius:

Cum, quantum poterat, dixerat hinsidias.

Nec sane video, quare Graevius *leviter audire* probet, non item *leviter dicere*, quasi Catullus non ea significarit, quae *leviter* dicerentur. Ita quod ex Terent. I. Heaut. 1. 62. ad Catull. l. c. adfert Cl. Vulpius, *Adolescentulus saepe eadem, et graviter audiendo, victus est,* de iis potest intelligi, quae saepe gravibusque verbis a patre adolescentuli dicebantur, Sed clariora, si vis, Ovidii sunt testimonia, ex quibus celeb. Burmannus ad III. Heroid. 80. vocem *leviter* adversus emendantes in hoc Tullii loco defendit, citante atque adsentiente Cl. Ernesto in Ind. Latinit. Nihil est certius, quam ubi de voce agitur, *leniter* ad suavitatem, *leviter* autem ad sonum proprie pertinere suppressum, levem atque submissum: ut iam tribus illis codicibus, et si quos habuit auctores, cum edidit *leniter*, Lambinus, obsequi nemo possit. Garaton.

audire nolebat. Quod sciret eos favere coniurationi; haec autem de coniuratorum scelere et audacia esse. Sylv.

quibus se venditabat. Iis, qui circum iudicium stabant. Manut. — Id est, ut vulgo dicunt, complacere volebat. Sylv.

qui id non probabatis. Sic edd. vett. consensu, non *probatis.* Atque sic legendum dudum conieceram, atque etiam ante in verbis, *qui ea probatis* aut *probaretis.* In ed. Gruteri primum operarum errore irrepsit *probatis:* nec id animadversum a Gronovio et Graevio. Atque etiam *id* puto delendum; deberet esse *ea*, ut supra. Ernest. — Im-

perfectum cur h. l. sit ita necessarium, negat se perspicere Wolffius; sed si ponatur, etiam supra §. 30. legendum esse, *qui ea probabatis.* Praesens autem verum esse, quum agatur de eo quod nonnulli supplicium Lentuli improbaverint; sed qui improbaverint, eos non tum solum parum placuisse optimatibus, sed semper displicere. Fr.

alterum iam oratoris vitium. Ut cavendum oratori est, ne adversarii causam adiuvet: ita multo magis, ne quid dicat, quod causam suam laedat. Quod igitur coniuratorum poenam mortemque lugeat, coniurationem probare videtur, quod accusationi contrarium est. P. enim Sullam accusat, quod in coniuratione fuerit. Sylv.

qui alterum coniur. accuset. Huius coniunctivi rationem optime explicat Matth. ad orat. pro S. Roscio §. 4. Cf. infra ad §. 36. Fr.

Quod quum is Tribunus plebis facit. Fortasse Metellus Nepos, qui Ciceronem abeuntem consulatu concionis habendae potestate privavit, cum diceret, ei, qui in alios animadvertisset indicta causa, dicendi ipsi potestatem fieri non oportere. Quod si Metellus Nepos est, habita haec oratio Silano et Murena Coss. Manut. — Arbitror esse legendum: *Quod is Tribunus plebis facit.* P. autem Clodium Trib. pl. designatum significare videtur. Sylv. — *Quod tamen Tribunus plebis facit is, qui.* Sic habent libri manuscripti, quos secutus sum. Nam libri vulg. habent, *Quod cum is Tribunus plebis facit, qui unus videtur ex illis ad lugendos coniuratos relictus, non mirum est.* Lambin. — *Quod quum is Tribunus plebis facit.* Opinor delendum adverbium *quum*, et pro eo vel *tamen* vel aliud simile reponendum, quod Lambinus in scriptis codicibus se reperisse testatur: Pantagathus legebat, *Quod Curius Tribunus plebis facit.* F. Ursin. — Mutat hic quaedam Lambinus, sed libris nostris invitis; ii tamen in illo *non mirum est* mire dissentiunt; nam Pal. pr. quart. quint. sept. oct. *neque hoc mirum est;* sec. sext. S. Victoris, Busb. Grut. *re . . . . mirum est;* tert. *minime quidem mirum est;* quod et in nono, sed sine *quidem;* quod mihi sanissimum videtur: quamvis

Guilielmius amplectatur *nec rectum est*, quod restat in editione proxima primae. Grut. — Vide Manutium. Graev. — Metellum Nepotem intelligi, recte iudicat P. Manutius; nam eo tribuno dicta est haec oratio, Coss. Murena et Silano. Ernest. — Omnes editi, quos habeo, praeter Lambinum, *Quod cum is* etc. atque ita etiam cod. Barber. Stephani codex, *Quod is*, omisso *cum*, eiusque particulae loco alteram *tamen*, quam Lamb. ex suis MSis adscivit, in vetusta editione testatur Stephanus se reperisse. Verum ego non video, quidnam in ea sit boni. Puto autem ex *cum*, quod superest in MSis longe plurimis, factum de more *tum*, atque hoc iterum, ut solet, in *tamen* esse conversum. Probo itaque *cum*. Deinde cod. Barber. et prior Ven. *neque hoc mirum est:* altera, *nec mirum est*, atque ita Naug. lacuna ante *nec* relicta, ita Hervag. et Manut. et Lambinus, qui falso et per errorem adnotavit, *non* esse in vulgatis. Quo errore decepti repetitores editionis Lambinianae *non mirum est* ediderunt, vulgatam lectionem a Lamb. submotam rati se restituere. Quod vero magis mirere, imponi sibi Gruterus est passus, cum nullum tamen suorum codicum ei *non* praebuisse, ex eius adnotatione facile appareat. Itaque iam Graevius et recentiores omnes lectionem hanc exhibent, tutioremque putant. An eam tandem Graevius in suis libris invenit? Erat hoc certe monendum. Interea, si in summa discordia optimo Palat. nono subscribamus, cum eoque Grutero volente legamus, *minime mirum est*, pauci audeant reprehendere. Sed cautius tamen ago; edendumque arbitror, *nec mirum est*, cum *nec* pro *non* usurpari iam pridem docuerit Zinzerling. Promuls. Crit. cap. XXIII. viris doctis adprobantibus, ex quorum numero vide Cortium ad XIII. Ep. ad Divers. 18. [§. 2.] et suspicari etiam possimus, ex eius particulae vi non intellecta varietates esse profectas. [Cf. Goerenz. ad Cic. III. de Legg. 4. §. 10. Fr.] De Clodio hic errat Sylvius, ut alii ad cap. 38. pro Mur. Sed vide quae Manutii argumento subiunximus. Garaton.

§. 32. *causam reipublicae non tenes.* Ignoras, quid postulet reipublicae ratio et utilitas. Cicero III. de Legibus

10. cap. 4. §. 10.] *Senator causam populi teneto.* Vide quae notavi ad orat. pro lege Manil. 2. GRAEV. — *causam reip. non tenere* dicuntur, qui non vident, quid reip. ratio et utilitas postulet. BECK.

CAP. XI.

fuisse ut — voluerit — cuperet — haberet. Perf. actionem significat ad id solum tempus restrictam, qua coniurationis particeps factus sit, imperfecta continuam animi affectionem. Cf. ad Rosc. 44. §. 127. MATTHIAE. — Pro *Et quem tu horum* Beckius primus optime scripsit *Ecquem tu horum.* FR.

clarissimum virum generis vestri, T. Manlium Torquatum, qui tertium Consul [a. u. c. 413.] Latino bello filium, qui contra suum edictum pugnaverat, necari iussit. MANUT. — T. Manlium Torquatum, qui filium securi percussit, quod iniussu suo cum hoste pugnasset: *Cum enim caesa cervice fusus est cruor, tum libero conquestu coortae voces sunt, ut neque lamentis neque execrationibus parceretur:* ut ait T. Livius lib. VIII. [cap. 7.] Nec Torquato Romam revertenti iuventus obviam profecta est. Ut igitur fuerunt, qui praeclarum hoc patris tui factum reprehenderent, ita tu reprehendis factum reipublicae, quae hostes suos necavit, ne ab iis necaretur. SYLV. — De forma dicendi *An vero* vid. supra adn. ad §. 21. FR.

§. 33. *quam ego non defugiam auctoritatem.* Sic habent libri vulg. manusc. autem *quam ego defugiam;* concinnior vero est antiqua, cum sit eadem sententia; significat enim se non defugere auctoritatem consulatus sui: id est, non negare se auctorem esse earum rerum, quae in consulatu ipsius gestae sunt; *defugere* enim *auctoritatem* est, negare, se auctorem fuisse. Nos Galli dicimus, *desavouer.* LAMB. — *quam ego defugiam auctoritatem.* Vere et erudite sic Lambinus correxit e MSis suis, neque aliter Pall. Busb. S. Victor. Grut. immo edd. tres quatuor antiquae; recentiores enim, *quam ego non defugiam.* GRUTER. — Adstipulan-

tur his quoque libris, quibus negatio abest, Francii uterque, Pithoei, et ed. prima et Mediol. Graev. — Adstipulatur denique cod. Barb. Garaton. — Edd. et scr. quidam, *quam ego non defugiam:* eodem sensu. Sed libri meliores edd. et scr. *quam ego defugiam;* quod est venustius. ironice dictum. Ernest. — *quam ego defugiam.* Id est, quam non recusem, quo minus ea, quae me consule in opprimenda coniuratione gesta sunt, ea me auctore omnia gesta esse dicantur, ut explicat Muretus ad Terent. Eunuch. II. 4. 105. *Quam* enim non tantum est *quam valde*, sed etiam *quam parum* vel potius *quam non*, sicut *quantus*, *tantus* non solum significat *quam magnum*, *tam magnum*, sed etiam *quam* vel *tam exiguum*. Vid. ad Manil. §. 14. Matth.

de invidiosis rebus. De nece coniuratorum: qua me Torquatus putat in odium venisse plebi Romanae, tamquam ea, quae consul pro communi salute gessi, non probanti. Manut. — Quibus me in invidiam Torquatus adducere conatus est, quae mihi improborum omnium odia conciliarunt. Sylv.

ad occasum interitumque. Auctore Donato in commentariis in librum Aen. I. [vs. 238.] *Casus parvae rei est, vel personae inferioris: occasus magnae rei, vel personae superioris. Nam solem lunamque occidere, et viros praeclaros occidisse dicimus.* Virgil. [Aen. I. 1.] *Hoc equidem occasum Troiae, tristesque ruinas Solabar, fatis contraria fata rependens.* Sylv.

meis consiliis etc. Cf. Catil. III. §. 1. II. cap. 7. in. Matthiae.

sine tumultu. I. e. sine decreto Senatus, quo tumultum esse decerneretur. Beck. — Catil. II. 13. §. 28. III. 10. §. 23. Matth. — *Bellum Gallicum, aut Italicum appellari tumultum, quod in eo timor multus esset*, scribit Cicero in Philipp. VIII. [cap. 1. §. 3.] Quibus in bellis ne sacerdotibus quidem aut sexagenariis vacatio erat: *Cum igitur bellum huiusmodi impendebat, tumultum esse decernebat Senatus, ut vacationes tollerentur.* Id significat Cicero in Philipp. V. [cap. 12. §. 31.] cum censet M. Antonium, qui

Brutum Mutinae obsidebat, hostem patriae iudicandum: *Quamobrem*, inquit, *Patres conscripti, Legatorum mentionem nullam censeo faciendam. Rem administrandam arbitror sine ulla mora, et confestim gerendam censeo. Tumultum decerni, iustitium indici, saga sumi dico oportere, delectum haberi, sublatis vacationibus in urbe et in Italia, praeter Galliam totam. Sine tumultu* igitur est, tumultu non decreto a Senatu. SYLV.

sine delectu. Militum. MANUT. — Id est, nullo militum delectu habito, i. e. nullis militibus congregatis. SYLV.

quinque. P. Lentulo, C. Cethego, senatoribus, L. Statilio, P. Gabinio, equitibus Rom., M. Cepario Terracinense. Sallustius [Catil. cap. 55.] Ipse tamen Cicero, a se dissentiens, novem homines, non quinque poena affectos esse ait in orat. III. in Catil. [cap. 6. §§. 14. 15.] ad eos quinque, quos iam nominavi, addens L. Cassium, P. Furium, Q. Magium Chilonem, P. Umbrenum. MANUT. — *quinque hominibus comprehensis atque confossis.* Plures fuerunt comprehensi, sed de quinque solum in Tulliano carcere sumtum supplicium est, Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Cepario. *Confossis;* quamvis *confodere* proprie sit vulneribus necare, hoc tamen in loco dicit pro eo, quod est laqueo gulam frangere. Hoc enim genere mortis hos quinque coniuratos interiisse Sallustius [Catil. l. l.] scribit. SYLV. — Quidam legi volunt, *atque confessis.* LAMB. — Nescio an ultima vox pura; meliores enim Pall. *atque confessis;* quod minus fuerit invidiosum; et ita certe scripsit Cicero; ut demum de supplicio loquatur periodo sequenti. GRUT. — *Confessis* scribitur etiam in Francii secundo, et Dresdensi, et edit. prima, in qua, ut et Francii secundo, pro *comprehensis* legitur *apprehensis.* GRAEV. — Quam falso hic Tullium accuset Manutius, ipsum Tullium III. in Catil. 6. et Sallustium Cat. XLVII. L. LII. LV. conferenti patebit. FERRAT. — *atque confossis.* Durius hoc visum est: unde correctum in libris *confessis*, quod et Gruterus probat. Frustra. Loqui vult de supplicio, et paullo post poena eorum commemoratur. *Confossis* non proprie accipiendum, sed pro interfectis. Sic et

iudiciis confossi et *iugulati* occurrunt. Ernest. — *Confossis* editi omnes, quos habeo, defendunt, itemque cod. Barb. et vero, si quid video, altera lectio inepta est: neque item placet, quod facile varietas illa suggereret, *confectis*. Garaton.

incensione urbem. Id est, incendio, ut Invectiva in Catilinam III. [cap. 4. §. 9.] *Eumdemque dixisse fatalem hunc esse annum, ad interitum huius urbis atque imperii, qui esset decimus annus post virginum absolutionem; post Capitolii autem incensionem vicesimus.* Sylv. — Cf. Catilin. IV. 1. §. 2. Fr.

internicione cives. Sic Mediol. Victor. et aliae editiones. Sed uterque Franc. Dresd. editio prima: *interemtione cives.* Proxime his accedit, quod in aliis libris se invenisse nonnulli testantur *interitione cives*, quod ex *interemtione* est corruptum. Vox minus trita fuit interpolata hic aeque, ac in oratione pro lege Manilia [cap. 11. §. 30.] *Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter Gallorum interemtione patefactum, est.* ubi itidem quidam codices, *internicione*; ut a *redimo redemtio*, ab *eximo exemtio* apud Varronem, sic ab *interimo interemtio*. Graev. — Lambinum consule ad II. ep. ad Attic. 20. [§. 4.] ubi adnotat his similia Graevianis, praefert autem et eo loco, quo aliter fieri MSi non sinunt, *internecione*, et altero etiam pro L. Manil. 11. [§. 30.] ad quem tamen postea notam addidit aliam, qua firmavit *interitione*; in quo denique Graevius cum ediderit *internicione* sententiam hic mutat, ut vides. Tam varia doctorum iudicia ex his perpetuis MSorum varietatibus promanarunt: quae admonent ipsae, opinor, satis, codicum numerum atque praestantiam, tum quid cuique loco sit aptius, simul esse considerandum. Iam vero hic prior Ven. item altera et Naug. *internitione*, Hervag. Manut. Lamb. *internicione*. Lamb. pro varietate, sed sine nota codicis, apponit *interitione*. Silet Stephanus; et Gruterus demum tacite praebuit *internecione*, quod merito ab Oliv. et Lall. servatum contendo. Verburgius Lambinum una littera variantem cum aliis est secutus. Graevii vero paucos, nec

valde praestantes codices, et Barb. iis adstipulantem facile iudico posse contemni. Confer, quae adnotavimus ad l. c. pro L. Manil. Sed nunc pressius Gruterianam lectionem tuebor, et loco aptissimam demonstrabo. *Internecio* enim de tumultibus civilibus maxime usurpatur, ut l. c. ad Attic. *neque enim resisti sine internecione posse arbitramur.* Accedit alter locus III. in Catilin. 10. [§. 25.] *Atque illae tamen omnes dissensiones, quarum nulla exitium reipublicae quaesivit, eiusmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordiae, sed internecione civium diiudicatae sint.* Quae autem ibi sequuntur, hoc amplius ostendunt, de nullo civili motu libentius hoc verbo usurum fuisse Tullium, atque adeo usum esse, quam de coniuratione Catilinae: *In hoc autem*, ait, *uno post hominum memoriam maximo crudelissimoque bello, quale* etc. *cum hostes vestri tantum civium superfuturum putarent, quantum infinitae caedi restitisset, tantum autem urbis, quantum flamma obire non potuisset* etc. Garaton.

arcem regum ac nationum. Regum enim, populorum et nationum portus erat et perfugium Senatus Rom. ut est apud Cic. lib. de Offic. II. [cap. 8. §. 26.] Sylv. — Catil. IV. 6. §. 11. *hanc urbem, lucem orbis terrarum atque arcem* (i. e. perfugium) *omnium gentium.* Catil. IV. §. 2. *curia, summum auxilium omnium gentium.* Cf. pro dom. 28. §. 73. *Summum est populi Romani populorumque et gentium omnium ac regum consilium Senatus.* Fr.

§. 34. *in maxima concione dixissem.* Ultimo consulatus die iuravit, asservatam esse rempublicam. Id ipse narrat in orat. in Pisonem [cap. 3. §. 7.] et in ea pro Domo [cap. 57. §§. 144. 145.] Manut. — Id est, in concione populi Rom. Sylv. — Int. cum prohibitus a Metello ab oratione ad populum in deponendo consulatu, iuravit, se remp. conservasse. Ernest. — Cf. ad Famil. V. 2. §. 15. sq. Fr.

C A P. XII.

ne qui. Proprie *qui* adiectivum est, *quis* substantivum. Sed haec nonnumquam commutantur. Quare non est cur

cum Lambino scribamus *ne quis*. Cf. ad Iul. Rufinian. de fig. orat. et eloc. pag. 228. ed. meae. FR.

subito te amare. Tanquam sui similem. MANUT. — Propterea quod inveharе, quod coniuratorum poenam mortemque lugere videare. SYLV.

L. ille Torquatus. Hic ipse, qui Sullam accusat. MANUT. — De hoc Torquato in persona tertia loquitur. SYLV. — Monstrat eum digitis. FR. — *L. ille Torquatus cum esset*. Totum hunc locum, foede (ut apparet) depravatum, ita restituit Pantagathus: *L. iste Torquatus cum esset meus contubernalis in consulatu, atque in praetura fuisset: cum princeps, cum signifer esset iuventutis, auctor, adiutor, particeps exstitit: parens* etc. F. URSIN. — Vide infra. Omnino recte Pantagathus. Voces *cum auctor* abesse debere, et contra illas *cum princeps*, quas etiam Ferratius expungebat, adesse, ostendit similis Tullii locus ad Att. II. 1. [§. 6.] *Nunc vero, cum equitatus ille, quem ego in clivo Capitolino, te signifero ac principe, collocaram, Senatum deseruerit*. Loquitur de equestri ordine, quem Consul in concordiam cum Senatu redegerat: qua de re saepe ipse gloriatur. Non puto autem *principem iuventutis* ideo Torquatum dici, quod primus fuerit a Censoribus in equitum albo positus, ut putat Graevius, h. e. a Gellio et Lentulo, qui septennio ante Tullii consulatum in eo magistratu fuerant, ita ut eum locum tenuerit usque ad proxime actum censum, de quo diximus ad cap. 32. pro Flacco [pag. 230. sq.] qui Caesaris consulatum paullo praecessit. Vocatur autem Caesare Cos. *princeps iuventutis* a Tullio in Vatin. 10. [§. 24.] Curionis viri Consularis filius Curio. Sed potius existimo, nihil hic aliud significari, quam iuventutis ducem, adolescentem scilicet nobilem, qui suos inter aequales auctoritate plurimum et gratia valeret, qui inter iuvenes illos excelleret, tum virtute rebusque aliis, tum praecipue in Tullii actis probandis et adiuvandis, quemadmodum eodem tempore Atticus eques Romanus *princeps ac signifer* equitum fuit in ordine suo universo cum Senatu reconciliando. Ita propter virtutes animi eximiumque adolescentiae splendorem, ut recte

Manut. intelligit, M. Brutus III. ad Divers. 1,1. [§. 3.] *princeps* dicitur *iampridem iuventutis*, *celeriter*, *ut spero*, *civitatis*. Atque illa quidem de Torquato et Attico sunt eiusmodi, ut alii simul cum ipsis principes et signiferi iuventutis et equitum esse potuerint: unum autem a Censoribus *principem iuventutis* constitui erat necesse. Me in hanc opinionem adduxit adiecta vox *signifer*, et dubia illa significatio, qua saepe aliquis *princeps Senatus* appellatur, de qua celeb. Wesseling. I. Obs. 8. Idem enim de hac simili forma ratio suadet esse sentiendum. Meam volui dubitationem exponere, remque satis tuto definiri non posse arbitror. GAR.

meus contubernalis in consulatu. Ita tunc mos erat, ut adolescentes quotidiano convictu et sermone clarorum virorum, administrandae reipublicae scientiam perciperent. Sic L. Gellius C. Carbonis in consulatu contubernalis fuit: ut in Bruto [cap. 27. §. 105. Sic M. Caelius Q. Pompeio proconsuli contubernalis in Africam est profectus: ut in orat. pro ipso [cap. 30. §. 73.] MANUT. — Ut Romana iuventus institueretur melius, clarissimorum virorum filii adolescentes cum Consulibus in provinciam proficiscebantur, aut cum iisdem Romae manebant. Id significat Cicero pro M. Caelio [l. l.] *Cum*, inquit, *paullum iam roboris accessisset aetati, in Africam profectus est*, *Q. Pomp. Proconsuli contubernalis*, *castissimo viro atque omnis officii diligentissimo*. et pro Cn. Plancio [cap. 11. §. 27.] *Hic est enim*, *qui adolescentulus cum A. Torquato profectus in Africam*, *sic ab illo gravissimo et sanctissimo viro dilectus est*, *ut et contubernii necessitudo et adolescentuli modestissimi pudor postulabat*. SYLV. — Vide Clav. ERNEST.

cum signifer esset iuventutis. Fortasse hoc abundat, cum sequatur: *cum princeps*, *cum auctor*, *cum signifer esset iuventutis*. MANUT. — *atque in praetura fuisset*. Assensus sum Henrico Stephano, qui haec verba loco suo mota iudicavit, eaque in suum locum restituit. Praeterea verba aliquot a librario errante bis scripta sustuli; sic autem habent libri vulgati: *Cum esset meus contubernalis in consulatu, cum signifer esset iuventutis, atque in praetura fuis-*

set, auctor, adiutor, princeps exstitit, cum auctor, cum princeps, cum signifer esset iuventutis, parens eius etc. Quis non videt haec verba, *cum auctor, cum princeps, cum signifer esset iuventutis*, esse supervacanea et temere iterata? LAMBIN. — *in consulatu atque etiam in praetura fuisset auctor.* Coactus sum obtemperare scripturae Pal. noni, deletis intermediis, *cum signifer esset iuventutis;* aliter haec constituit Lambinus, sed ex coniectura Henrici Stephani. GRUTER. — Cuiusnam rei auctor et adiutor et particeps fuit in praetura Ciceronis Torquatus? Sic enim haec accipienda sunt, si interpungas, ut interpunxit Gruterus. Verum distinctionum notae ita sunt collocandae: *Cum esset meus contubernalis in consulatu, atque etiam in praetura fuisset, auctor, adiutor, particeps exstitit,* (nimirum in Consulatu, in comprimenda coniuratione Catilinae) *cum princeps, cum signifer esset iuventutis.* Perperam repetitum est in nono Palatino *τὸ auctor*, ut perperam in aliis libris vitio librariorum repetitum est, *cum signifer esset iuventutis.* Non est autem *iuventutis* militum, ut Sylvius explicat, quamvis *iuvenes* pro militibus saepe poni non ignorem, sed equestris ordinis. Sic *princeps iuventutis* dicebatur, qui primus erat ex equitibus lectus a Censoribus, et in urbe primo loco scriptus. GRAEV. — *cum esset meus contubernalis in Consulatu, cum signifer esset iuventutis, atque in Praetura fuisset.* Sua sede mota sunt haec verba, *atque* etc. hoc enim dicere vult Cicero: Cum esset meus contubernalis in Consulatu, et iam antea (nimirum biennio ante, ut ex orat. in Rull. [cap. 2. §. 3.] discimus) in Praetura meus contubernalis itidem fuisset. Hoc igitur ordine colloca verba, quo collocata in veteri codice habes: *Cum esset meus contubernalis in Consulatu, atque in Praetura fuisset, cum signifer esset iuventutis, auctor* etc. nimirum auctor, adiutor harum omnium rerum, quas ego gessi. Sunt enim per parenthesin addita reliqua. At quorsum repetuntur illa verba, *cum signifer* etc. Priori loco expungenda censeo. HENR. STEPHANUS. — Mihi autem posteriori loco verba haec esse delenda, multa persuadent. I. Si priori loco tollas, post-

ponendum illud esse videtur, *cum esset meus contubernalis*: vox enim *cum* repetita indicat, utrumque simul esse debere, et eodem referri. II. Vitiosa esset amplificatio: nam *princeps* maius quid significat, quam *signifer*, neque in exaggeratione decrescere debet oratio. III. Adeone inops verborum Cicero, ut in eadem periodo bis absque ulla necessitate voce *auctor* uteretur? IV. An vero, quod in contrariam sententiam traxisse Henr. Stephanum aliosque videtur, non poterat Torquatus signifer esse iuventutis in Praetura, sicuti fuerat in Consulatu Ciceronis, quia nulla tum erat civilis dissensio? Sed *signifer* nihil aliud est, quam *primus*: potuit esse Torquatus Praetori Cic. contubernalis, ac proinde etiam contubernalium primus et signifer iuventutis. V. Suspicor ab aliquo illata ea verba, *cum princeps*, *cum auctor*, ad explicandum, quid esset *signifer*, et simul omnia deinde in textum vitio librariorum irrepsisse. Itaque sic lego: *Harum omnium rerum, quas ego etc. L. ille Torquatus, cum meus esset contubernalis in consulatu, cum signifer esset iuventutis, atque in praetura fuisset, auctor, adiutor, particeps exstitit.* Multo minor mutatio fit, quam si H. Stephani lectionem sequamur. FERRAT. — *cum princeps, cum auctor.* Voces *cum auctor*, quas plerique codices ignorant, e superiore versu repetitas, cum Graevio delevimus. LALLEM. — Satius erat huic et Graevio, de suis MSis aliquid testificari, de quibus dubii relinquimur: nam certe voces ab illis deletae in meis editis aliorumque scriptis supersunt: nisi forte Lambinus ex MSis, licet non moneat, locum ita refinxerit, quemadmodum a Pantagatho factum supra notavit Ursinus. Ambo enim eodem modo, ambo elegantissime. Graevium vides et hic voces illas, *cum auctor*, reliquisse, et in V. L. nihil adnotasse. Gruterus autem, si notam Stephani consuluisset, de illo et Lambino aliter iudicasset: verba quae in suo codice melius collocata invenit Stephanus et delenda censuerat tamen, eadem et loco eodem in optimo Palat. desunt, qui denique in ceteris cum cod. Steph. h. e. cum vulgata plane consentit: nisi quod unam voculam primus addit in iis, *atque etiam in praetura*, a quibus antea τὸ *etiam* in omnibus

editis aberat, nec item legitur in cod. Barb. cuius codicis et prioris Ven. illa singularis est lectio, nec ea quidem probanda, sed quae iam pridem huic loco emendatores non defuisse testetur: *cum princeps, cum auctor, cum signifer etiam esset iuventus parens eius homo* etc. GARATON. — *fuisset, auctor, adiutor, particeps exstitit.* Locus in edd. pr. et MSS. valde turbatus vitiosa interpunctione, bene constitutus est a Grutero. *auctor* hic est approbator consiliorum de rebus gerendis; sive particeps consiliorum: alterum *cum auctor* Graevius non male delendum iudicat. [At utrobique tria membra requiruntur. FR.] *Iuventutem* intellige de ordine equestri, cuius opera Cicero inprimis usus est. Itaque is, qui in eo ordine potens esset, bonam operam navare poterat. ERNEST. — *auctor* potest esse, qui consilia dat; vel sic tamen nimium tribuere videtur Torquato. Malim abesse. Flaccum certe *socium* tantum et *adiutorem consiliorum suorum* dixerat orat. pro Flacco cap. 1. SCHUETZ. — *auctor*, qui Ciceronis consilia approbavit et exemplum aliis praebuit, iuventuti exemplo suo praeivit. Honorificentius causae serviens de Torquato loquitur. Orell. ed. *actor*, quia auctorem suorum consiliorum a Tullio consule contubernalem adolescentem nominari parum sit credibile. Num vero magis credibile erat, eum *actorem* nominari? quod voc. cum *auctor* coniungitur pro Sext. 28. §. 61. MATTH.

omnibus rebus illis interfuit. Cum Macedonia revertisset; primis enim mensibus consulatus Ciceronis eum abfuisse, illa orat. in Pisonem verba [cap. 19. §. 44.] declarant: *Ex qua provincia modo, vir omni dignitate ornatissimus, L. Torquatus magnis rebus gestis, me referente, absens imperator est appellatus.* MANUT.

digressus. Lamb. *degressus.* Vid. Obss. Critt. in Quinctilian. pag. 24. FR.

cum infirmitatem corporis animi virtute superaret. Non dissimile illud de Hirtio Phil. VII. [cap. 4. §. 12.] *Qua imbecillitate? qua macie? sed animi vires corporis imbecillitas non retardavit.* et Phil. XIV. [cap. 2. §. 4.] de eodem: *Cuius imbecillitatem valetudinis animi virtus et*

spes victoriae confirmavit. MAN. — *animi virtute.* Id est, ut vulgariter dicunt, animositate. SYLV. — De L. Torquato patre [cf. §. 30.] sic ipse Tullius II. de Finib. 19. [§. 62.] *qualis ille vel Consul vel civis, cum semper, tum post Consulatum fuit? quo quidem auctore nos ipsi ea gessimus, ut omnibus potius, quam ipsis nobis consuluerimus.* GARAT.

§. 35. *Sed iam redeo ad causam.* Postquam purgavit, quae in se Torquatus dixerat, ad Sullae defensionem accedit. SYLV.

dicendi necessitas quaedam imposita est. Id est, dicere coactus sum. SYLV. — Cod. Steph. *Atque hoc vos, iudices, testor, mihi* etc. *necessitatem quamdam impositam ab illo.* Hunc codicem, cum nullum laudet, sequitur tamen Lambinus, uno tantum addito verbo, nescio an ex suis: dedit enim, *necessitatem quamdam impositam esse ab illo.* Ceteri editi et cod. Barb. cum aliis, opinor, omnibus vulgatam tuentur, cuius nulla est reiiciendae causa. Ita mox cap. 13. [§. 38.] *Dixi antea: ne si argueret quidem* etc. *id mihi criminosum videretur.* et ita centies. GARATON. — Cf. §. 46. et Brem. ad Demosth. Phil. II. §. 4. FR.

Nam si Torquatus Sullam solum accusasset, ego quoque hoc tempore nihil aliud agerem, nisi eum, qui esset accusatus, defenderem. Sumsisse videtur a Demosthene ex oratione περὶ τοῦ στεφάνου [pag. 228. Rsk.] in qua sunt haec: *Εἰ μὲν γὰρ οὖν περὶ ὧν ἐδίωκε μόνον κατηγόρησεν Αἰσχίνης, κἀγὼ περὶ τοῦ προβουλεύματος εὐθὺς ἀπελογούμην· ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἐλάττω λόγον τἄλλα διεξιὼν ἀνάλωκε καὶ τὰ πλεῖστα κατεψεύσατό μου. Si enim Aeschines solum ea, quae in accusatione perscripsit, accusasset, ego quoque de ipsa senatus consulto statim respondissem; quoniam vero, ad alia digressus, non pauciora verba insumsit, et plura in me mentitus est.* MANUT. — *nihil aliud agerem, nisi. Agerem* suspectum mihi est; eo delcto et Latinior et elegantior erit oratio. ERNEST. — Non adsentior. Nam licet in talibus *faciendi* verbum, ut *ποιεῖν* apud Graecos, plerumque omittatur, tamen ne haec quidem regula caret exce-

ptione. Cic. pro Rosc. Amer. §. 108. *nihil aliud fecerunt nisi rem detulerunt.* Nepos Hannib. 10. §. 1. Demosth. de Chers. §. 10. *οὐδὲν ἄλλο ποιοῦσιν ἢ καθιστᾶσι τὴν πόλιν εἰς τὸν αὐτὸν τρόπον.* Fr.

hanc a me orationem flagitasset. Hic in tempore verbi haesi semper: structura Latinae orationis desiderat, ut opinor, *flagitabat.* Ordo enim propositionum naturalis est hic: *cum ille* — — *defensionem meam auctoritate spoliare voluisset, causa ipsa flagitabat h. o. etiamsi dolor meus non cogeret respondere.* Hoc perspicuum est. Iam structura periodica hic in temporibus et modis nil mutat. Ernest. — Oratio illa iam dicta erat: ideo *flagitasset* ponit; sed dolor continuus est, neque etiamnum cessat: inde repeto *τὸ cogeret* respondere. Beck. — Debebat dici: *quum ille invectus esset, et* — *voluisset, ipsa causa postulavit.* Sed tempus accommodavit ad *etiamsi dolor meus respondere non cogeret.* De Plusquamperf. Coni. post Imperf. vid. ad Catil. II. §. 3. Matthiae.

CAP. XIII.

§. 36. *Allobrogibus nominatum Sullam esse.* Cum L. Cassius Longinus legatos Allobrogum ad communionem coniurationis impellere conaretur, multos nobiles viros ex coniuratione nominavit. Autronium cum nominasset, Allobroges de P. Sulla quaesierunt. L. Cassius nescire se dixit. Nominatus Allobrogibus fuit a L. Cassio. Sylv. — Cf. III. in Catilin. §. 9. Ceterum h. l. haud dubie cum Orell. Ambros. Schol. et Lamb. legendum est: *Ab Allobrogibus nominatum Sullam esse dicis.* Apparet ex iis, quae statim sequuntur. Fr.

Quis negat Sullae indicium. Ita in aliis codicibus scriptum invenio. Non desunt tamen qui legant, *Quis negat?* Sylv. — *Quis negat? At vide.* Inter hoc, *Quis negat?* et hoc, *At vide,* duas voces interiectas, et ex adnotatione natas, atque in contextum orationis temere coniectas, *Sullae indicium,* ego olim coniectura ductus sustuleram ac deleveram: quas Henricum Stephanum in vetere codice non

reperisse postea cognovi, LAMBIN. — *Quis negat? Sullae indicium.* Faërnus existimabat glossema esse duo postrema verba; itaque delebat *Sullae indicium*, interrogationis nota ad verbum *Sullae* [immo ad .v. *negat*. FR.] adscripta. Mihi Faërni coniectura placet, tametsi vulgata etiam lectio defendi aliquo modo possit: nam hic *indicium* sumitur pro nominatione Sullae facta ab Allobrogibus in indicio coniuratorum. Sed non qualiscunque nominatio indicis, est indicium coniurati, ut ipse infra late ostendit, quod Allobroges de eo quaesierint a Cassio, Cassium respondisse se nescire, non tamen inter coniuratos indicatum aut nominatum, neque ab illis neque ab hoc. F. URSIN. — *Quis negat? sed lege indicium, et vide.* Res nunc constituta lectione vera ex codice Turingico est planissima. Iubet Cicero Torquatum audire et evolvere tabulas publicas, in quas, uti paullo post sequitur, indicium Allobrogum erat relatum. ZINZERLINGIUS. — Correxi eleganter e Turingicis, accedebatque prorsus proxime Pal. nonus; ne emendationem hanc sibi adscriberet Guilielmius, imputanda Zinzerlingio nostro, qui pridem ipsam ostentavit in Promulside sua. GRUT.

L. Cassium. Longinum, unum ex coniuratis, senatorii ordinis, et fortasse praetorium; nam Ciceronis competitor fuerat in consulatu; plebeii generis, nobilem tamen, Pedianus fuisse dicit; nominatur orat. III. in Catil. [cap. 4. §. 9.] MANUT.

nusquam, sese aiunt quaesisse. Ex Pal. nono et Turingico constitui etiam huius periodi sententiam, cum antea falso et obscure legeretur: *nunquam sese etc. calamitate qui fuerant, esse in eadem voluntate.* GRUT. — Recte quidem Gruterus, Sed huius loci tamen restitutio debetur Zinzerlingio, qui in Promulside vulgatae lectionis absurditatem his verbis ostendit: „Id vero est falsissimum, numquam Allo„broges quaesivisse ex Cassio, an inter coniurationis popu„lares sit quoque P. Sulla. Retundit enim hoc paullo post „ipse Cicero, quando ait absurdum fuisse, cum sponte reli„quos nominarit Cassius, de Sulla, utpote non e plebe ho„mine, si et hic ex sociis fuisset, usque dum rogaretur, si-

„lere: mirum etiam in Gallis, cum de Autronio, qui in ea„dem cum Sulla calamitate versaretur, audissent, in mentem „venire potuisse, ut quaererent adhuc de Sulla: a Cassio Sul„lam eiusdem sceleris satellitem, Autronio nominato, obli„vione fuisse praeteritum. Bene igitur distinxeris et emen„daris totum hunc locum ex membranis.“ Sequitur distinctio et emendatio, quam recepit Gruterus. GRAEV.

qui — non nossent. Vid. ad Rosc. §. 4. [cf. supra §. 31.] Sic etiam paulo post, *qui barbaros homines ad bellum impelleret*, i. e. qui impellebat et quum impelleret. MATTH.

eos pari calamitate esse. Quia pariter damnati erant de ambitu et consulatu privati. Infra est *afflicta fortuna.* ERNEST.

esse in eadem voluntate. Adscribendum esse verbum *arbitrabantur* aliudve quod eiusdem significationis puto, ad hanc sententiam: Videte diligentiam Gallorum, qui Autronium et Sullam nunquam viderant, de iis tantum audiverant: eos autem arbitrabantur in eadem voluntate esse, propterea quod fuerant pari calamitate, id est, simul de ambitu damnati. SYLV.

si — tamen. Sic pro Muren. §. 8. *Quae si causa non esset, tamen vel dignitas hominis vel honoris — amplitudo summam mihi superbiae — famam inussisset, si hominis — amplissimi causam tanti periculi repudiassem.* Catil. III. §. 7. *si ea — reperta non essent, tamen ego non arbitrabar.* ubi Matth. comparat de Orat. I. 16. §. 72. et 41. §. 185.

secum facere Sullam. Id est, ex coniuratione secum esse. SYLV.

criminosum. Criminosum, non criminale dici, alio loco scripsimus. SYLV.

non debebat minuere illorum suspicionem. Sallustius de bello Catilinario [cap. 40.] scribit, *Allobroges per P. Umbrenum sollicitatos eosque in domum D. Bruti perductos fuisse, quod foro propinqua erat, neque aliena consilii propter Semproniam; nam tum Brutus Roma aberat. Praeterea Gabinium ab Umbreno arcessitum, quo maior au-*

ctoritas sermoni inesset: quo praesente Allobrogibus coniurationem aperuisse, socios nominasse, praeterea multos cuiusque generis innoxios, quo legatis animus amplior esset. Sylv.

de quibus illi aliquid suspicarentur. Ab his abeunt non nihil verba MSorum, *de quibus aliquid suspicari viderentur;* quod malim prae altero. Favet mihi Sallustius [Catil. cap. 40.] qui ait multos fuisse socios coniurationis plane innoxios. Quid mirum igitur dici a Cicerone, non debuisse a Cassio purgari eos, de quibus vel leviter suspicari Allobroges viderentur? Zinzerling. — Solus his MSis credidit Graevius: lectio autem, quam Grut. et recentiores ex omnibus editis antea reliquisque codicibus retinuerunt, *aliquid suspicarentur*, et longe firmior est et satis proba, quam tamen Graevianae postponerem, si alii accederent MSi: nam de suis vir maximus nihil admonuit, et Barb. a plurimorum lectione non abit. Garaton. — Sensus est: quia Gallorum intererat multos esse coniuratos, Cassius non debebat eos purgando eximere, quos illi in eorum numero esse putarent. Schuetz.

§. 37. *Etenim esset absurdum.* Si ex coniuratis Sulla esset, scilicet. Sylv.

nisi forte. Cf. supra §. 28. *nisi vero.* Fr.

afflicta fortuna. Id est, condemnatio. Sylv.

non prius Autronium. Si Sulla ex coniuratis fuisset. Sulla enim Autronio nobilior erat. Sylv.

§. 38. *illud probari minime potest.* Id est, illud verisimile non est. Sylv.

propter calamitatis similitudinem. Id est, quia simul de ambitu uterque condemnatus fuerat. Sylv.

huius in mentem venire potuisse. Uterque Francii, Dresd. ed. prim. *huius nomen in mentem venire potuisse.* Sed procul dubio haec interpolarunt, quibus ista ratio loquendi videbatur esse absurdior, cum tamen occurrat saepius. In Mediolanensi recte iam fuit expunctum τὸ *nomen.* Graev. — *Nomen* est etiam in pr. Ven. sed iam ante Mediol. illam

omissum id fuit in ed. MCDLXXXIII. quam Naug. omnesque postea secuti sunt. Hanc formulam Ciceronis ipsius exemplis Grammatici veteres illustrarunt; veluti Priscianus pag. 1202. ed. Putsch. [Tom. II. pag. 249. ed. Krehl.] In cod. Barb. vox *nomen* fuit superscripta non post illam *huius*, sed post alteram *mentem;* quo magis ab interpretante manasse perspicitur. Garaton. — Ista loquendi ratio (quam habes etiam supra §. 19.) haud raro fefellit librarios. Cf. de Fin. V. 1. 2. ad Fam. VII. 3. 1. Fr.

Se nescire certum. [Cf. ad Att. XIII. 23.] *Certe scio*, *certo* et *certum*, itemque *certum habeo* et *pro certo* in eadem re dicitur. [Sed est tamen aliqua horum differentia.] Sylv.

tum denique. Id est, tum demum, nisi quod *denique* gravius est, ut recte monuit Goerenz. ad Cic. de Legg. pag. 117. Orat. II. 30. §. 131. *Sed hi loci ei demum oratori prodesse possunt, qui est versatus in rebus vel usu, quem aetas denique affert, vel auditione* etc. ib. 85. §. 346. *Ea enim denique virtus esse videtur praestantis viri, quae est fructuosa aliis, ipsi autem laboriosa* etc. Matthiae.

§. 39. *Sed ego in iudiciis et quaestionibus.* Henricus Stephanus existimat legendum *in indiciis et quaestionibus*, quod item mihi iam pridem venerat in mentem: cum in aliquot editionibus impressum sit, *in iudiciis.* Nunc, posteaquam et in uno libro manuscr. et in nonnullis Lugduni excusis *indiciis* scriptum vidi, nullum iam dubitationi locum relictum esse existimavi, cum praesertim hic de indiciis perspicue sermo habeatur: infra non longe: *illud mihi tantum satis est, contra Sullam nihil esse in indicio:* et minus longe: *si periculum esse putasset, ne illi umquam indicarent.* Adde, quod per quaestiones satis significantur publica iudicia. Lamb. — *Sed ego in iudiciis et in quaestionibus.* Ita Pall. nostri scripti, et aliorum. Lambinus intulit *indiciis:* minus bene: nam quaestionibus iudicia utique exercentur. Grut. — *in iudiciis* asserunt MSi duo Franc. prima et Mediolan. aliaeque vetustiores editiones, quamvis

id quoque flagitet sententia. Nam quaestionibus recte iunguntur iudicia. Quaestiones enim sunt iudicia publica de criminibus. Graev. — Cod. Barb. et ambae Ven. cum ceteris ante Lamb. vulgatis, *in iudiciis et quaestionibus*. Gruterus alteram praepositionem addidit. [Vid. Meyer. ad Cic. Orat. cap. 3. pr. Fr.] Garaton.

num purgetur aliquis etc. Purgare et arguere contraria sunt. Cum quis cuiuspiam dicto vel facto aliquid fecisse vel non fecisse probari potest, is arguitur vel purgatur. Arguere hoc in loco est, quod dicunt onerare: et purgare, quod dicunt deonerare. Sylv.

utrum sublevat Sullam, an satis probat se nescire. Argumentum a remotione est. Sylv.

Sublevat. Excusat. quod verisimile non est; cur enim excuset? ne illi Sullam indicent? at ipse Cassius, quia fore non putabat, ut illi quemquam indicarent, de se ipso confessus iam erat. Manut. — Id est, ut vulgo loquuntur, supportat. Sylv.

ne indicent. Galli Sullam. Sylv. — Prior Ven. *ne indicetur?* Mox ambae Ven. et cod. Barb. *ne illi umquam indicarent*, quod Lambinus adoptavit. Iidem libri statim: *Nesciit, iudices. Credo celatum esse* etc. Paullo post Lamb. *nescire se dixit*, solus, et male: vide ad I. Act. in Verr. 8. [Vid. adnot. ad Rutil. Lup. pag. 112. ed. meae. Fr.] Garaton.

ne ulli unquam — de se ipso conf. esset. Ulli edidit primus Victorius, consulto an vitio operarum, nescio: quem imitati sunt P. Manutius, R. et C. Steph. et alii, factaque est vulgata lectio. At edd. aliae pr. omnes *illi*, quod et Lambinus servavit, recte. Pertinet enim ad Allobroges, nam de quibus timere poterat, ne indicarent, nisi quibus confitebatur? Non, inquit, timuit, ne Allobroges indicarent rem. nam si timendi causam habuisset, non illis etiam de se confessus esset. Tum *de se ipso* corr. *de se ipse*. Ernest. — Quod Ern. dicit corrigendum esse *de se ipse*, non satis certum iudicat Beck. Nihil mutandum esse ait Matth. quum opponatur, *quum de Sulla confiteretur*. Fr.

Nescivit. Ex persona Torquati: ut cum dixisset Cassius nescire se, purgatum non esse Sullam ostenderet. Manut. — Altera disiunctionis pars est. Ante enim quaesivit, *utrum sublevat Sullam an satis probat se nescire?* Sed non sublevat; igitur nescivit. Sed ne hoc quidem. Sylv.

celatum esse Cassium. Ab aliis coniuratis, aut a Catilina. *Celare*, ut ait Cicero in lib. de Officiis III. [cap. 13. §. 57.] est, *cum quid tu scias, id ignorare emolumenti tui causa velis eos, quorum intersit id scire.* Sylv. — *Credo — de Sulla uno.* Haec ironice dicuntur. Nempe, si Sulla in numero coniuratorum fuisset, incredibile esset de eo uno Cassium esse celatum. Schuetz.

nescire dixit pro nescire se dixit. vid. ad Rosc. §. 61. Mur. §. 7. [Cf. pag. praeced.] Matth.

qui de omnibus scierit. Cf. ad §. 36. Fr.

eandem vim esse negationis huius, *quam si* etc. Malim legi: *eamdem vim esse negationis huius*, *atque si* etc. Verumtamen tutius fortassis est nihil mutare. Lamb.

extra coniurationem. Ut in lib. Invectivarum I. [cap. 6. §. 13.] *Quid enim Catilina est*, *quod te iam in hac urbe delectare possit*, *in qua nemo est extra istam coniurationem perditorum hominum*, *qui non metuat*, *nemo*, *qui te non oderit.* Sylv.

CAP. XIV.

§. 40. *aliter*, *ac dictum est.* Ab Allobrogibus. Manut. — *ait me aliter ac dictum est.* Fortasse legendum, *ait me aliter atque indicatum est:* ut infra novem post versibus: *aliter indicata haec esse diceret:* nihil tamen mutare ausus sum: et in hoc *dictum est* subintelligo, ab indicibus: sic enim infra [§. 41.] loquitur: *qui omnia indicum dicta*, *interrogata*, *responsa perscriberent:* omnino *indicatum est* magis placet. Lamb. — Nihil mutandum est contra omnes scriptos et editos. Prior Ven. *ait aliter*, omisso pronomine, quod sane posset abesse. Garaton. — *me aliter ac dictum est.* Sc. ab indicibus. Scripsisse Ciceronem credo *esset*, nisi accipimus e Ciceronis persona dictum,

quod h. l. non placet. *Est* et *esset* confundi saepe per compendium scribendi, alibi iam vidimus, et est notissimum. ERNEST. — Debebat dici *al. ac dictum sit*, ut ex Ambros. Schol. edidit Orellius. „Sed satis nunc constat“ inquit Matth. „Ciceronem in sententiis orationi obliquae insertis in„dicativo uti, fortasse, ut ipsa loquentis verba usurparet, „sicut h. l. dixerat Torquatus, *al. ac dictum est*, *in tab.* „*publ. retulisti.* *Sit* pro *est* a correctore scribi, non mi„rum; qui *sit* scriptum repererit, pro eo *est* scripsisse, mi„nus probabile.“ FR.

in tabulas publicas. Cum essem consul. MANUT.

O dii immortales. Quae vix humano consilio fieri potuissent, ea diis faventibus atque consulentibus se dicit fecisse, quo factis suis maior auctoritas tribuatur. SYLV.

nec vero possum meo tantum ingenio dare. *Meo* ignorant veteres libri, Franc. uterque, Dresd. edit. prima et Mediol. Ecquid causae est, cur illis invitis eam vocem retineamus? GRAEV. — Atqui graviores ac plures opponi auctoritates codicum possunt. Nam vocem *meo* iam inde a Naug. et antea fortasse receptam Lamb. et Grut. retinuerunt, nihil varietatis ex suis codicibus adnotantes. Stephanus etiam silet. Itaque prudenter eam recentiores revocarunt. In utraque Ven. eius vocis loco est altera, *modo*. Video tamen quid Graevius potissimum sit secutus: ingenium maluit γενικῶς esse positum, quasi Tullius dixerit: *nec vero possum humano tantum ingenio dare:* quod ipsum mallem, si uspiam inveniretur. In cod. Barb. erat *mo*, h. e. modo, ut in Venetis: sed manus coaeva emendavit *meo*. GARATON.

dispexerim. Id est, providerim et invenerim. SYLV. — Id est, ut dispexisse me dicam. Sic saepe omissis verbis dicendi vel existimandi, infinitivus iis adiunctus in verbum finitum mutatur, ut Fin. I. 5. 13. *illuc quidem adduci vix possum, ut ea, quae senserit ille, tibi non vera videantur.* pro *ut credam, tibi ea non vera videri.* (quomodo etiam legendum videtur de prov. consul. 16. §. 39. deletis verbis *ad suspicandum.* Pro eo, omissis verbis *ut dicam, ut credam* simm. infinitivus sequitur Leg. II. 3. 6.

ut iam videar adduci, hanc quoque, quae te procrearit, esse patriam tuam. pro *ut credam hanc esse patr.* Cf. ad Att. XI. 16.) ad Famil. V. 4. in. *litterae Quinti fratris — tantum spei dederant, ut in te non minus auxilii, quam in tuo collega, mihi constitutum fuerit.* i. e. mihi constitutum fuisse existimarem. Fin. II. 22. 72. *id enim volumus, id contendimus, ut officii fructus sit ipsum officium.* pro *ut doceamus, off. fructum esse ipsum off.* Hinc illa *mors ut malum non sit, efficies* Tusc. I. 8. 16. pro *mortem ut malum non esse putem,* quomodo locutus est ib. §. 15. *perfice ut ne moriendum quidem esse miserum putem.* Orat. I. 58. 248. *De me autem ipso, cui uni tu concedis, ut — causis satis facere possim.* pro *ut causis satis facere existimer.* Cf. Lael. V. 18. pro Sext. VII. 15. *devinxerat facturum* pro *dev. ut iuraret se facturum.* Cf. ib. 24. in. Matthiae.

conservandae patriae cupiditate. Cupiditatem in bonam partem accipi attende, quoniam in malam dicitur saepius. Sylv.

ab omnibus ceteris cogitationibus. Nam *pluribus intentus minor est ad singula sensus.* et ut ait Cicero pro L. Cornelio Balbo [cap. 20. §. 45.] *Assiduus usus uni rei deditus et ingenium et artem saepe vincit.* Sylv.

ad unam salutem reipublicae contulistis. Quidam sine auctoritate ullius libri veteris legi volunt, *compulistis:* quod probo. Verum tamen nihil muto: quod si quid mutandum est, malim legi, *transtulistis.* Lamb. — Pal. nonus, *convertistis.* Grut. — Valde probo libri Palatini scripturam. Vulgata non sapit Latino palato. Si Cicero scripsisset, se a ceteris cogitationibus ad salutem reipublicae se contulisse, non haereremus. Nam *conferre* quidem homo dicitur *cogitationem ad aliquid;* sed ab alio non dicitur, *conferri ab hac re ad illam.* Cum mendam itaque olim deprehenderint viri docti, optimus ille Palatinus nonus, qui ceteris Palatinis praestat, ostendit, quomodo haec menda sit delenda, cuius sequimur auctoritatem. Graev. — Tantum hoc loco valuit summi auctoritas viri, ut *convertistis* receperint primum

Verb. qui a Grut. vix umquam solet discedere, deinde Olivetus, postremo huius assecla Lallem. Adi tamen celeb. Ernesti Indicem et unius lectionem codicis, licet optimi, quae non mediocrem, immo, iudicio meo, certam glossae suspicionem habet, male praeferri optimae illi atque Tullianae cognosces, quam et codex Barberinus et ceteri, quotquot innotuerunt, omnes editi scriptique prae se ferunt, *contulistis*, quam sine ulla dubitatione censeo restituendam. Iam quid de Oliveto dicam, qui quatuor tantum editiones describendas suscepit, iisque adeo saepe tam pertinaciter adhaesit, ut cum iis errare, quam cum Graevio sapere maluerit, hic autem, ubi minime oportebat, eas deseruit nihil admonens, nihil adnotans varietatis, quasi in quatuor suis editionibus id reperisset, quod in earum est nulla, et ab uno mutuatus est Graevio? GARATON. — *Contulistis* vitiosum esse, omnes sensere. Coniecere Lambin. *compulistis*, alii *transtulistis*. Ego recepi *convertistis*, quod in optimo Palatino fuit: id est verbum hac in re proprium. Vulgatum ortum est e *praetulistis* in versu sequente. ERNEST. — Aliter in Clav. iudicaverat Ern. FR.

praetulistis menti meae. Ut in his tenebris mens mea vestro lumine illustraretur. SYLV.

§. 41. *testatus essem.* Pro, testatam fecissem auctoritatem indicii. *auctoritas indicii* est per periphrasin indicium ipsum, [de coniuratis, Catilinae sociis, per Allobrogum legatos factum, cum eorum nominibus;] quia index est auctor rei, ut testis. ERN. — Matthiae sic explicat: testatam fecissem, ut indicium plus auctoritatis haberet. Nam auctoritas est ea vis rei, qua alios ad credendum permovet. FR.

Torquati quispiam similis. qualis esse tamen poterat. Vid. ad Catil. I. §. 15. Beierus tamen ad Offic. Tom. I. pag. 237. legendum censebat *quisquam*. MATTHIAE.

nam id me multum fefellit. Numquam enim putaram fore, ut viri boni, qualis Torquatus est, dicerent aliter indicata haec esse, quam in litteras publicas relata essent. SYLV.

patrimonio naufragus. Id est, patrimonii decoctor, cui ex toto patrimonio nihilo magis relictum est, quam nau-

frago ex naufragio. SYLV. — Concinnius foret *patrimonii*, et sic forte scripsit Cicero, ERNEST. — Ablativum servandum dicit Wolff. quod in v. *naufragus* sit direptionis notio. FR.

otii. Id est, pacis. SYLV.

vento aliquo in optimum quemque excitato. Ventum in aliquem excitare est, alicui negotium facessere, periculum creare, adversam fortunam excitare. SYLV. — Sententia est: quo facilius bonis, qui recte de republica sentirent, eamque salvam esse vellent, in invidiam et discrimen adductis, tumultus, seditio et bellum civile oriretur, ubi rapiendi et inopiam sublevandi aliorum opibus, aut saltem legum et iudicum poenas a suis capitibus et fortunis avertendi facultas esset. His enim opus est bellis civilibus, ut ait Caesar apud Suetonium. His bellum civile malorum portus est. Illo enim durante non possunt in ius vocari a creditoribus. Hos homines, et eorum voluntatem ac desideria, pulcre descripsit Aristoteles V. Polit. cap. 6. [Tom. V. pag. 140. 8. ed. Sylburg.] *Fiunt in republica mutationes, cum homines per luxum sua prodigunt atque consumunt:* (hi sunt, quos naufragos patrimonio dixit Cicero) *tales enim res novas quaerunt: et aut ipsi dominationem affectant, aut ad eam alios vocant.* [*Γίγνονται δὲ μεταβολαὶ τῆς ὀλιγαρχίας, καὶ ὅταν ἀναλώσωσι τὰ ἴδια, ζῶντες ἀσέλγως· καὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι καινοτομεῖν ζητοῦσι· καὶ ἢ τυραννίδι ἐπιτίθενται αὐτοὶ ἢ κατασκευάζουσιν ἕτερον.*] Haec non tam copiose prosecutus essem, nisi alios hic cespitasse vidissem. GRAEV. — *vento aliquo.* rumore ad invidiam faciendam hominibus probis idoneo, quique eos evertere posset; ductum ab ea vi venti, qua mare perturbat et navigantes evertit. Cluent. 28. *Quintius, homo maxime popularis, qui omnes rumorum et concionum ventos colligere consuesset.* i. e. ea, quae in rumoribus et concionibus essent ad invidiam faciendam accommodata. Vid. Ern. Clav. MATTHIAE.

portum. Id est, requiem et finem. Sententia autem est: Vidi fore, ut improbi aliqui haec indicata aliter esse dicerent, quo facilius in malis reipublicae optimum quemque ex coniuratione esse, possent dicere, ut malorum suorum ali-

quem portum invenirent. Nam in iis reipublicae malis praemium aliquod indicibus constitui posset, aut satis magnum sibi praemium sibi improbi homines putarent, si bonis civibus negotium exhiberent. SYLV.

constitui Senatores. Id factum Plutarchus in vita Catonis [pag. 770. ed. Francof. cap. 23.] scribit, cum in senatu de comprehensorum poena ageretur: *Consul,* inquit, *Cicero velocissimos scriptores disposuit, atque docuit, ut per singula quaedam et parvas brevesque notas multarum litterarum vim habentes, dicta colligerent. Nondum enim reperti erant ii, qui notarii appellantur, sed tum demum eius rei vestigium extitisse ferunt.* [Τοῦτον μόνον ὧν Κάτων εἶπε διασώζεσθαί φασι τὸν λόγον, Κικέρωνος τοῦ ὑπάτου τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαντος ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν, εἶτ' ἄλλον ἀλλαχόσε τοῦ βουλευτηρίου σποράδην ἐμβαλόντος. Οὔπω γὰρ ἤσκουν οὐδ' ἐκέκτηντο τοὺς καλουμένους σημειογράφους, ἀλλὰ τότε πρῶτον εἰς ἴχνος τι καταστῆναι λέγουσιν.] Idem Catonis sententiam tum excerptam atque servatam putat. SYLV.

cuius generis — facultas maxima. H. e. cuius generis multi in senatu reperiebantur. SCHUETZ.

sed etiam, quos. Qui pauciores erant. IDEM.

§. 42. *memoria, scientia, consuetudine et celeritate scribendi.* Haec quatuor, quae notariis necessaria sunt, ad faciendam fidem tabularum ab iis Senatoribus excerptarum dicit. SYLV. — *Scientia* h. l. est eius, qui didicit arte, e dictis alterius ea, quae rem et causam continent, discernere a ceteris et in brevem summam redigere: unde post ad eandem rem *ingenium* commemorat. nec enim est id cuiusque ingenii. [*Ingenium* vero, quod postea dicitur, simul illam *scientiam* et *memoriam* comprehendit. SCHUETZ. — Tabularum, in quibus dicta alterius in brevem summam redacta, suspecta est fides. Crediderim itaque potius *scientiam* esse notarum s. siglorum in scriptura compendiaria, ut Plut. Cat. min. 23. Ciceronem τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαι, ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις

πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν. MATTH.] Verba *aut etiam scribendum*, infra post *referendum*, delevi, ut placebat Graevio. Nam non sunt in MSS. melioribus, nec ea res desiderat. nam *scribere* nec est ingenii, nec fidei, et id est etiam in verbo *referendum* sc. in literas. [in tabulas.] sunt a glossatore. ERNEST.

C. Cosconium. Qui postea proconsul Hispaniam administravit. — Lego cum utroque Francii et Dresd. in V. L. cum cod. Barber. et ambabus Venetis antiquis, *qui tum erat Praetor.* Irrepsit *tunc* ex solenni permutatione. [Vid. adn. ad Rutil. Lup. pag. 175. ed. meae. FR.] GARATON.

M. Messalam. Huius et Appii Claudii saepe meminit Cicero in epistolis. SYLV. — *M. Messalam, qui tum praeturam petebat.* Hoc certe refertur ad an. DCXC. et ad ultimum eius anni mensem, quo coniurationis conscii detecti poenas dederunt. Cum duo fuerint M. Messalae, alter Consul fuit cum M. Pisone an. DCXCII. atque adeo biennio ante Praeturam petere non poterat ex lege annali: alter vero, de quo sermo est pro Amer. 51. cum post annos X Consulatum gesserit, collega Cn. Domitio, multo minus significari posse videtur. „(Fuit Cos. an. DCC. qui erat a Tullio Cos. decimus.)“ Praeterea est advertendum, eo tempore anni, quo agebatur in Senatu de coniuratis, omnes magistratus iam designatos fuisse. Quid igitur adhuc Messala praeturam petebat? Ep. 1. ad Att. quam Cicero scripsit Cotta et Torquato Coss. haec habet: *Petitionis nostrae, quam tibi summae curae esse scio, huiusmodi ratio est.* et infra: *De iis, qui nunc petunt, Caesar certus putatur, Thermus cum Silano contendere existimatur.* En Caesarem, Thermum et Silanum Consulatus candidatos in annum sequentem DCLXXXIX. Ciceronem eiusque competitores in annum DCXC. Ille M. Messala petebat in annum DCXCII. Praeturamne? Sic esset iunior Messala, qui cum Domitio Consul fuit. Sed mihi non videtur verisimile, hominem in primis nobilem et gratiosum, ut est in II. ep. ad Q. Fratrem, octo post gestam Praeturam annis Consulem factum; neque puto, sicut Consulatus, sic etiam Praeturae petitionem tanto ante

fuisse institutam, in qua, cum octo, non duo tantum, crearentur, multo minus erat laborandum. Quamobrem opinor mendum subesse, et omnino esse legendum, *M. Messalam, qui tum Consulatum petebat*, ut senior Messala intelligatur, qui etiam honorem illum biennio post consecutus est, et erat eo tempore procul dubio candidatus. Ita mihi mea coniectura satisfacit, ut nihil magis. FERRAT. — Etsi hoc monitum vere est, non posse priorem, si recte legitur *praeturam*, intelligi: tamen in illa, quae tum fuit ambitione, fieri potuit, ut etiam nobilis homo octo demum post praeturam annis consul crearetur. BECK. — Intelligendus est *posterior* Messalla. Vide etiam Wolff. FR.

aut vere referendis, aut scribendis putet. A quibusdam libris antiquis abest, *aut scribendis*, in eisque ita legitur, *vere referendis fidem putet, aut etiam ingenium defuisse:* in aliis, *fidem putet, aut diligentiam defuisse.* LAMB. — *aut vere referendis, aut etiam scribendis.* Pantagathus legebat auctoribus manuscriptis libris, *aut referendis fidem, aut recte scribendis* etc. sed in alio antiquo libro videtur rectius scriptum esse: *qui his omnibus vere referendis aut memoriam putet, aut ingenium defuisse.* F. URSIN. — *qui his hominibus ad vere referendum, aut etiam scribendum, aut fidem putet, aut ingenium defuisse.* Repraesentavi quod erat in Pal. nono et Turingico, excepto quod in iis aberat, *aut etiam scribendum*, quod nec in ullo MSorum nostrorum, aut aliorum. Lambinus de suo hic multa auctori largitus est: at vulgata praeferebat, *qui his omnibus aut vere referendis aut etiam scribendis putet ingenium defuisse:* atque hoc statim loco deficit Palatinus noster nonus. GRUT. — Libri, quem Fulvius inspexit, lectionem probat Muretus. Sed longe verius Palatinus nonus et Turingicus. Cur autem, cum ab iis abesset, *aut etiam ad scribendum* non expunxit? *Vere* enim *referre*, nimirum in tabulas, ut paulo ante loquitur, est scribere. Haec igitur inserta sunt, cum τὰ *ad fidem* excidissent in multis codicibus, ad sententiam, ut credebant, implendam. Sic enim legitur in Pithoeano, Dresd. et multis aliis MSis: *Quibus om-*

nibus aut vere referendis, aut putet ingenium defuisse. GRAEV. — Additio illa, qua Grut. locum in optimis MSis purum ab se inventum interpolavit, et quae a Graevio fuit merito reiecta, placuit recentioribus, pravo sane iudicio. GAR.

CAP. XV.

privata tamen custodia. Id est, domi meae. Consules enim aliique magistratus res in magistratu gestas in commentarios per scribas suos curabant referendas, eosque commentarios apud se retinebant. SYLV. — *privata cust. more maiorum continerentur.* Nempe magistratus domi habebat tabulas, SCta, dum in aerarium referrentur. ERN. — *ita in tab. publ. relatum, ut* etc. i. e. in tab. quidem relatum, sed tabulas illas — contineri. Verr. III. 43. 103. *ita cetera de oratione mea tollam, ut tamen in causa relinquam.* Hac formula Quintil. inprimis delectatur. MATTH. — Cf. §. 61. FR.

describi ab omnibus. Id est, in exempla multa describi, et ut vulgo dicunt, duplicari et copiari. ut in legem agrariam Rulli [II. cap. 5. §. 13.] *Concurrunt iussu meo plures uno tempore librarii, descriptam legem ad me afferunt. Transcribere* in eadem re idem dixit pro A. Cluentio [cap. 14. §. 41.] *Digito legata delevit, et cum id multis locis fecisset, post mortem eius, ne lituris coargui posset, testamentum in alias tabulas transcriptum signis adulterinis obsignavit.* SYLV. — Mox pro *dividi passim et pervulgari* legitur in Francii primo: *dividi passim et divulgari.* GRAEV. — *ab omnibus librariis.* Publicis senatus et consulum scribis. infra Ciceronis scribae memorantur. Pro *pervulgari* libri quidam *divulgari,* ut infra [§. 44.] est. bene. ERN.

edi imperavit. Cf. de hac structura Catil. I. §. 27. Verr. IV. extr. V. 27. §. 68. et 69. 34. §. 88. 41. §. 106. 56. extr. quos locos laudat Matth. FR.

dimisi in omnes provincias. Placuit mihi Memmii coniectura, arbitrantis legendum, *dimisi in omnes provincias,* pro quo libri omnes habent, *divisi in omnes provincias.* Eadem ratione mihi quoque venit in mentem, supra non longe pro *dividi passim et pervulgari,* quod reperitur in li-

bris omnibus, legendum *didi passim* etc. *didi* autem, a praesenti *didor*, valet dispergi, diffundi; de quo plura in commentariis Horat. [ad Sat. II. 2. 67.] et Lucretianis [ad II. 1124.] LAMB. — *emisi in omnes provincias*. Est a Turingico; vulgata prius *divisi*, quod non inepte mutabat in *dimisi* Henricus Memmius; at *emittuntur* quae publicantur. GRUT. — Non paruerunt Grutero librarii, cum tamen ei sit hoc loco parendum. GRAEV. — Edd. pr. *divisi*, pro quo Lambinus dedit e Memmii coniectura *dimisi*, bene Latine. Sed melius Gruterus e MS. Erf. *emisi*, sc. ex Italia. ERNEST.

§. 43. *locum — nullum, quo in loco*. Locis ad Rosc. §. 28. allatis adde Divin. in Caec. I. 2. Verr. IV. 11. 26. et cf. Bremi ad ll. de Fin. I. pag. 61. Ellendt. ad Brut. 18. §. 69. Kritz. ad Sall. Catil. pag. 260. MATTHIAE.

ne qui posset tantum aut de reipublicae. Id est, ne quis plus aut minus de periculo reipublicae aut alicuius cogitaret, quam res fuisset. SYLV. — ne forte prae studio veram rei gestae memoriam obliteraret. SCHUETZ. — *tantum — meminisse*. tantum se meminisse dicere. MATTH.

quantum vellet. Pantagathus post verbum *vellet* addebat, *sed quantum esset in re*. F. URSIN.

temere. Id est, sine causa, et ut vulgo dicunt, leviter, et re non bene examinata. SYLV. — Cf. ad §. 14. FR.

aut oblivio. Si quid in meis commentariis omisissem. SYLV.

aut memoria. Si omnia scripsissem. SYLV. — *oblivio mea aut memoria nimia*. Durius est *nimia*, praesertim de *memoria*. Sensus est: ne aut obliviscendo, aut prave reminiscendo peccare viderer, ac viderer plus dicere de indicio, quam in eo fuisset: quod proprie non est memoriae, sed fingentis. ERNEST. — Imo memoria nimia in eo est, quod nimis diligenter omnia, etiam levissima, et quae vel aliquam suspicionem moverent, [vel adeo falsa] meminerit [ut inimico noceat]; unde mox *diligentia* dicitur. BECK. — *oblivio nimia est*, quum quis nonnulla etiam graviora obliviscitur et omittit, ne noceat amico cuidam. MATTH.

§. 44. *indicatus tuus inimicus esset.* P. Sulla. Sylv. — Cicero non concedit Sullam esse inter ceteros coniuratos ab Allobrogibus indicatum, sed tantum ponit ex Torquati criminatione hactenus, ut inde elicere posset, quod ipse absurdum fateretur. Schuetz.

edituri fuerint — si voluisses. Nam *edituri fuerunt*, si Torq. voluisset. Vid. ad Sext. 38. §. 81. Matth. — In orat. pro Sext. loco ab Matth. significato leguntur haec: *Hic quaero, iudices, si illo die gens ista Clodiana quod facere voluit, effecisset — fuistisne ad arma ituri?* ubi vir egregius: „Indicativus" inquit „rem, quam certo apud „animum constituisse finguntur, ideoque quae fieri debuerat, „significat." Fr.

quam in codicem retulissent. Ambae Ven. *quam in eo codice retulissent.* Vide ad cap. 32. pro Flacco [pag. 227. seq.] et praecipue ad IV. in Verr. 13. [§. 31.] ubi Cicero dixit, *quibus in tabulis retulit.* Adfine his illud est, quod habetur pro Arch. 5. [§. 10.] *cum aliis quoque in civitatibus fuerit adscriptus:* ubi contra MSos, et male, praepositionem delebat Lambinus. Sed nihil hoc loco mutandum. Garaton.

aliter fieri. Nihil scribas meos tibi dicere. Schuetz.

iracundius aut vehementius expostulasti. Rectius Dresdensis, *iracundius ac vehementius expostulasti.* Graev. — *iracund. ac veh.* E MS. Dr. dedi *ac* pro *aut*, quod et sine libro sic corrigi debebat. Ernest. — Facile ex antecedd. *aut* repeti potuit, quod tamen libri videntur servare. Beck. — Wolff. *aut* credit pro *et* poni potuisse, coll. Goerenz. ad I. de Legg. 15. §. 42. IV. de Fin. 9. §. 22. Fr.

cum tua vox nunquam sit audita. In foro agendis causis. Manut. — Manifesta est complexio argumenti: nihil igitur, Torquate, dixisti, cum Sullae nomen videres omitti, quod certe sciebas, eum non fuisse vel ab Allobrogibus vel a Volturcio nominatum. Manutius tamen aliter sentit, et vocem Torquati numquam in foro auditam causis agendis significari ait: quod et sententiae Ciceronis repugnat et veritati. Quid? nunquam in causis audita vox fuit illius? Quid

ergo huic ipsi Torquato dicit Cicero II. de Finib. 19. [§. 62.] *Te ipsum, dignissimum maioribus tuis, voluptasne induxit, ut adolescentulus eriperes P. Sullae Consulatum? quem cum ad patrem tuum retulisses, fortissimum virum* etc. FERRAT.

Tu — audeas — deducas. Tanquam quod vix credi possit, cum indignatione, ut Catil. II. 8. 18. *Tu — ornatus et copiosus sis et dubites.* Cf. de Offic. III. 17. 68. MATTH.

commutati indicii. Pro, immutati in deterius. Plene dixit Fat. 17. [cap. 9. §. 17.] *ex veris in falsa commutare.* ERNEST.

summae negligentiae. Quod de commutato indicio tacueris. SYLV.

tuo indicio. Guilielmius adnotavit e suis *iudicio*, quod reperitur etiam in Pal. uno alteroque. GRUT. — *Iudicio* male legunt Lambinus, Guilielmius et Gruterus, cum libri meliores tam scripti manu quam editi verissime *indicio* legant. Cum enim nihil questus esset de indicio, cum id in tabulas relatum legeretur publice, ac si mala fide referretur, tuam tuo indicio prodis negligentiam, cum me vis commutati indicii arguere. Illo tuo silentio te ipse indicas. GRAEV. — Ita Graev. e suis MSis, ut nos dedimus, *indicio*, iisque accedunt MSi nostri. Alii habent *iudicio*, minus recte. LALLEM. — At sententia est, Torquatum ex suo iudicio, sua sententia, convinci negligentiae. Nam de indicio, quod Torq. fecerit, sermo esse non potest, nec sensus verbo constitui, quem Graev. edit. BECK. — *tuo iudicio.* h. e. vel te ipso iudice. SCHUETZ.

CAP. XVI.

§. 45. *et in me potissimum consulem constitutas putarem.* Adieci e Turing. *constitutas;* recte: constituit enim qui rei agundae locum tempusve destinat. GRUTER. — Codici Turingico hic non possum applaudere. *Constituere tempus insidiarum* nemo improbet, sed *constituere insidias in consulem* insolens est Latinis auribus, quamvis non ignorem *constituta vadimonia.* Hic igitur malo aliorum librorum,

quam Turingici, licet optimi et probatissimi, auctoritatem sequi, cum sententiae sua constet integritas. Graev. — *constitutas* e MS. Erf. recte addidit Gruterus; Graevius reiecit, non sentiens necessitatem huius verbi: quod si abest, aures adsuetas numeris Ciceronianis, et praeceptis eius de numero, non implet oratio. Si non ita scripsisset Cicero, saltem *factas* deberet esse ante *putarem*: sed in hac forma numeri longe melius et sonantius cadunt. Similiter infra cap. 17. [§. 48.] bene numerum explevit, addito ex eodem MS. *unquam*. Ern. — Si *consuli* dictum esset, non *in consulem*, nulla reprehensionis foret opportunitas, sed hanc structuram praetulit, propter antecedd., ut *instruere insidias in aliquem* pro Cluent. 40. dixit. Beck. — Non dubitat Wolff. quin, quum *constituere insidias* sit *Nachstellungen verabreden, beschliessen*, bene et recte dicatur *const. insid. in aliquem;* aliter comparatum esse locum pro Cluent. iudicat idem. Fr.

Quod si iam essem oblitus. Cod. Barber. *qui si iam essem oblitus*. Garaton.

§. 46. *cedo amicitiae.* Absolute hoc bene dicitur, et apte ad praesentis loci sententiam: sed omnia cetera verba referuntur ad *aliquid*, etiam ultimum *tribuo*, quocum *cedo amic.* non convenit. Puto scribendum *concedo.* Paullo post: *si quid est tibi remissum atque concessum.* Mox *tute* optime Gruterus induxit pro vulgato *vitae*. Ernest. — *cedo amicitiae.* amicitia tua quasi victus facio quod ea postulat i. e. ignosco tibi propter amicitiam, quae inter nos fuit. Sic usurpatur etiam *concedere* Cluent. 69. §. 195. *iudices peccata liberûm parentum misericordiae concesserunt; dare* (ut pro Ligar. 12. §. 37.) *condonare, tribuere, permittere* (ut pro Sext. 33. extr.) Matth. — De verbis quae praecedunt *Fero ego te — iam dudum fero* vid. ad §. 20. Cf. Iul. Rufinian. de fig. sent. et eloc. pag. 231. ed. meae. Fr.

nisi tibi aliquem modum tute constitueris. Longe sic melius Turing. quam vulgata *vitae*; prodidit et istam correctionem e MSis Rubenius noster Electorum cap. 3. Grut.

— Rubenius notat tantum de libro scripto. Et cum Gruterus unum Turingicum praescribat, credi vult, utique vulgatam in Palatinis libris exstare. Unde an non illud *tute tibi* oppido sit Ennianum, et potius appareat, Ciceronem scripsisse *aliquem modum irae*, quod pater margini suo adscripserat. GRONOV. — Cod. Barber. habet *vite*, ex eiusque litterarum ductibus facile intelligitur, ex *tute* id verbum profluxisse, quod invito Gronovio, ad suum revocari fontem, eumque optimum, debet. GARATON.

Nemo unquam me tenuissima suspicione perstrinxit. Id est, maledicto minimo me lacessivit, et in tenuissimam suspicionem maledicto vocavit. SYLV.

praeverterim. Id est, respondendo superaverim. *Praevertere* enim est transire et superare, ut apud Virgilium [Aen. I. 317.] *Volucremque fuga praevertitur Hebrum.* Nam ut *revertere* et *reverti*, ita *praevertere* et *praeverti* in eadem re dicimus. SYLV. — Quidam legunt *perverterim:* sed non satis recte; nam non esset neque boni neque prudentis, eum, qui se tenuissima suspicione perstrinxisset, pervertere, id est, penitus evertere: *praevertere* autem bonus et cautus vir non modo potest, sed etiam debet: de quo honeste gloriatur Cicero. F. URSIN. — Non debet istud mutari cum Lambino, qui edidit *perverterim; praevertit*, qui occupat inopinantemque antevenit evertitque. Turingicus hic etiam auctior voce, *ac perfregerim;* forte *peregerim.* Rubenius eruit e suis, *non pertulerim, ac perfregerim;* quod primum mutat in *perculerim.* GRUTER. — *suspicione perstrinxit* — — *praeverterim. Perstrinxit* refertur ad dicta, quibus mala suspicio movetur: *praeverterim* est superarim, quo verbo post utitur: i. e. cui ego non multo plus reddiderim in eo genere, quam ab ipso accepissem. Frustra haesit Lambinus. ERNEST. — *praeverterim.* occuparim, praevenerim ante quam suspicionem illam explicaret. Notandum autem *nemo me perstrinxit, quem non praeverterim*, quae legitima est consecutio, ubi post sententiam negantem sequitur *qui non* vel *quin* cum verbo actionem designante, quae eodem, quo prior, temporis articulo conclusa est. Orat.

II. 38. §. 161. *Carneades numquam in suis illis disputationibus rem defendit, quam non probavit, nullam oppugnavit, quam non everterit.* Ibid. III. 33. §. 135. Cf. Verr. I. 24. §. 62. II. 21. §. 52. IV. 1. §. 1. 4. pr. 43. §. 95. V. 45. §. 120. 54. §. 140. etc. Contra ubi secunda actio est continua et priorem quasi comitatur, ibi suus Imperfecto locus est, ut Brut. 9. §. 35. *nihil acute inveniri potuit in eis causis, quas scripsit, quod ille non viderit, nihil subtiliter dici — quo fieri possit aliquid limatius, nihil contra grande, quo quidquam esset elatius.* Cf. Divin. 19. §. 62. Verr. I. 7. §. 19. de prov. consul. 13. §. 33. Matth. — Cod. Barb. et prior Ven. *perverterim.* Garaton.

§. 47. *excussos arbitrari.* Ab hystricibus translatio facta videtur. *Hystrici enim,* ut ait Plin. lib. VIII. [cap. 35. sect. 53.] *longiores aculei, et cum intendit cutem, missiles, ora urgentium figit canum et paullo longius iaculatur.* Sylv.

omnino esse a me amissum. Vulgo *omissum*, sed Guilielmius sequitur Turingicum. Grut. — Sensus est: noli, quod ego tibi mea sponte remitto, cum vehementius te non insector, id ita interpretari, quasi tu me perfregeris, quasi coactus et nolens aculeos meos ac tela dimiserim. Potes etiam ita intelligere: ne meam putes mutatam esse naturam, et me iniuriis patere, impuneque posse lacessi, cum vis exciderit ulciscendi. Utroque sensu, utrum *amissum* legas an *omissum*, quae duo solent saepissime permutari, nihil admodum refert: nisi quod codici unico reliqui omnes, in quibus est etiam Barb. praeferri tutius videantur. Consule celeb. Burmann. ad Ovid. II. Amor. 1. 17. ad Phaedr. I. 13. 10. et ad Suet. Galb. cap. X. Garaton. — At *amissum* magis tamen *excussis aculeis* respondere iudicat Beck. Ceterum notanda est h. l. παρονομασία in vv. *amissum* et *remissum*, et mox *tulisse* iniuriam — *retulisse* gratiam. Cf. Catil. I. §. 27. *non emissus ex urbe, sed immissus in urbem.* ibid. *exsul potius tentare — quam consul vexare remp. posses.* et §. 30. *paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse.* etc. Fr.

retulisse gratiam. Par pari retulisse. MANUT. — Id est, reposuisse iniuriam. SYLV. — Quid, si dicamus vocem *gratiam* esse alienam et supervacaneam? nam vox *iniuriam* quae antecedit, facile subintelligi potest. LAMBIN. — Lambinus fere in eo fuit, ut expungeret *gratiam*, minus gratiose: nam in eo lepos totius sententiae. GRUT. — *Referre gratiam*, ulcisci. Senec. I. de Clem. 7. *Timent praeterea contemtum, et non retulisse laedentibus gratiam infirmitas videtur, non clementia.* Id. ep. 47. *Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, et eum, qui illi impegerat titulum, qui inter reiicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi. Retulit illi gratiam servus* etc. *ipse non iudicavit sua domo dignum.* Est enim *gratia* vox μέση, quia est bona et mala gratia. [pariter ut *dolus*, *facinus*, *tempestas*. Cf. Gell. NN. AA. XII. 9. FR.] Terent. Phorm. IV. 3. [15 — 17.] *Cur non inquam Phormio vides inter vos, si haec potius cum bona ut componantur gratia quam cum mala?* Cicero II. ad Attic. 9. [§. 3.] *Sciat Hierosolymitanus traductor ad plebem, quam bonam meis putissimis orationibus gratiam retulerit.* Hic ponitur pro mala gratia. Senec. ep. 82. *Hoc certe iustitiae convenit, suum cuique reddere, beneficio gratiam, iniuriae talionem, aut certe malam gratiam.* Apul. VI. Metam. [pag. 120. ed. Bipont.] *Tuis quidem lacrymosis precibus commoveor et opitulari cupio: sed cognatae meae malam gratiam subire nequeo.* GRAEV. — Cf. quem locum laudat Matth. Lael. 15. §. 53. *Tarquinium dixisse ferunt, exsulantem se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, quum iam neutris gratiam referre posset.* Ruhnken. ad Terent. Eunuch. II. 3. vs. 93. FR.

CAP. XVII.

§. 48. *si, quod eum.* De hac βραχυλογίᾳ vide Wopkens. II. Lect. Tull. 1. [pag. 67. seq. meae ed. FR.] GARAT.

cur tibi quoque ipse non succenseo. Uterque Franc. ed. prim. *quid tibi quoque ipse non succenseo*; non male;

quid enim saepe est propter quid, cur. Dein, *amicum ego defendo meum*, a Dresd. abest *meum*. GRAEV.

qui accusas eum. Vulgo *accuses.* Sed prorsus hic nihil est, quod coniunctivum requirat. Immo sicut antea dixerat *defendo*, ita hic ei respondere debet *accusas.* SCHUETZ. — At ob hoc ipsum, quod praecedit *quod defendo*, coniunctivum ponendum fuisse, recte iudicat Wolff. Nam *qui accuses* est *quod accusas* vel *cum accuses.* FR.

Non debes tamen quemquam. Locus hic altercationi similis est, sed utramque personam sustinet Cicero. SYLV.

quaestione. Id est, causa. SYLV.

de quo nihil est umquam suspicatus. Dictio *umquam* adscripta ex membranis Turing. qua redduntur numeri pleniores. GRUT. — Recte; nam illae membranae orationem plane Tullianam efficiunt. Puto autem vocem *umquam* fuisse aliquando a librariis, quasi supervacuam, praetermissam: quam etiam I. in Catil. 9. [§. 22.] ex Quinctiliano [IX. 3. §. 62.] reddendam censui: *Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor unquam a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocaverit.* Nunc meum confirmo ex hoc eodem eius vocis fato iudicium: cum praesertim multo magis, quam hic, eam vocem ibi aures ipsae requirant. Ita etiam pro Arch. 1. vocem *umquam* a ceteris retentam omnibus omittit cod. Barber. primus in his verbis, *penitus umquam dediti fuimus.* GARATON.

multa cogitavit. Legendum existimo, *multa cognovit.* LAMBIN. — Lambinus divinat *cognovit;* frustra; explicat enim Noster se ipsum post aliquot capita. GRUTER. — In Dresdensi margini adscriptum est *cognovit*, cum in textu habeatur *cogitavit.* GRAEV. — Int. suspicatus est, adeoque ab suspicionibus, sc. in re tanta, non alienus. Hinc intelligitur, male hoc verbum sollicitasse Lambinum et corrigendum putasse *cognovit;* quod in margine Dresd. reperit Graevius. ERNEST. — Recte repugnavit Ern. Cicero enim non de iis solum loquitur, quos certo cognoverat Catilinae socios esse, sed etiam de his, de quibus tantum suspicatus erat s. cogitaverat. SCHUETZ. — Ed. MCDLXXXIII. *excogitavit.* Quid-

nam hoc est? Quonam vero Tullii loco vulgatam, quam in Barb. quoque reperi, qui et hoc capite et saepissime corruptas et deteriores lectiones habet, defendi posse Gruterus existimavit? Dicit infra Tullius cap. 30. et 31. se *quaesisse*, *investigasse*, *audisse*, *suspicatum esse*, *comperisse*; numquam *cogitasse*. Omnino restitui hoc loco arbitror oportere *cognovit*. Ita plane supra cap. 5. [§. 14.] *Multa, cum essem Consul, de summis reip. periculis audivi, multa quaesivi, multa cognovi* [„At ibi" inquit Beck. „refertur ad v. „*quaerere*, h. l. autem respondet verbo *suspicari*." Fr.] Si etiam *cogitare* pro *suspicari* rectum hic sit, haud tamen satis aptum existimo. Garat. — Wolffius comparat locum pro Milon. §. 56. *nihil de eius extremis comitibus cogitavit.* ubi eadem fere, qua h. l., potestate ponatur verbum *cogitavit*. Fr.

Quia coactus. Veritate et studio reipublicae. Manut. — Periculo reipublicae. Sylv.

creditum est. Meo testimonio. Sylv.

ac defendere. Legi oportet, *ac non defendere.* Sylv. *nec defendere quem velis.* Sic reposui, libris omnibus invitis, in quibus legitur mendose, *ac defendere, quem velis.* Lamb. — *ac defendere, quem velis.* Videtur legendum, *ac non defendere* etc. vel pro *ac* scribendum *nec*, ut habet Lambinus; paullo post, *familiarissimis suis non succensuit pater tuus*, vel delendum *non*, vel tollenda nota interrogationis post verbum *laudarent.* F. Ursin. — Lambinus, *nec defendere*, praeter libros; bis sumenda negatio, quasi dixisset, *non et dicere et defendere.* Grut. — Clare, ut coniiciebat Lambinus, Francii primus: *nec defendere quem velis.* quod recepi. Graev. — Vide infra H. Steph. [ad §. 49.] Garat. — *nec defendere* reposuit Beckius quoque. Vulgatum enim repugnare sensui, quum negandi particula commode intelligi aut ex antecedd. repeti non queat. Fr.

an istud tibi. Transcripsi *istud* e Turing. reperitque item in suis Rubenius d. cap. 3. Grut. — Vid. V. L.

modum. Id est, finem. Sylv.

§. 49. *At vero cum honos agebatur* etc. Id est, cum P. Sulla de ambitu causam dicebat, ut erepto ei Consulatu pater tuus Consul esset. SYLV. — Sic est in codice MS. Memmiano: et ita sine dubio legendum. Et vero sic habent nonnullae editiones; aliae vero sic, *An vero*, non recte; nisi tollatur negationis particula ante verbum *succensuit*, ut hoc modo legatur: *An vero cum honos ageb. ampliss. famil. vestrae, hoc est, cons. p. t. sap. vir famil. s. succens. p. t. c. S. et def. et laudarent?* LAMBIN. — *An vero* — — *succensuit pater tuus.* Sic legitur tum in aliis editionibus, tum in Manutiana: sed perperam. Legendum est enim ex veteri, *familiarissimis suis succensuit*, absque negativa particula. Et, ut vetus exemplar expungendae huius potestatem non daret, satis videmus (retinendo eam) Ciceronem id ipsum, quod affirmare vult, negare. Quid faciemus ergo hac particula? Nimirum ex hoc loco ad superiorem quemdam, qui hunc quatuor dumtaxat praecedit versibus, eam transferre debemus. Nam ubi legitur, *immo servitus est, non dicere in quem velis, ac defendere quem velis*, rectius legetur, ut in veteri, *ac non defendere.* Nam ubi vel minimum subesse potest ambiguitatis, non solent auctores particulas huiusmodi nobis ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendas relinquere: ne quis, dum hoc faciendum esse non cogitat, alium sibi sensum, licet absurdum, fingat. Scin' tu vero, quid suspicer? Nempe, cum in alicuius libri margine particula haec adnotata fuisset, ut quae in contextum recipi deberet, a quopiam non satis animadvertente, ubi illi assignata sua esset sedes, hic collocatam fuisse, ut quolibet in loco, dummodo aliquo, posita esset. Idem certe in nonnullis Graecorum auctorum contigisse locis deprehendi. HENR. STEPHANUS. — *At vero — non succensuit — laudarent. Intelligebat* etc. Cum *At* scribitur, manent omnia salva, et videtur haec scriptura et interpunctio sequentibus magis convenire. BECK.

hoc est, consulatus parentis tui. Potuit ista Cicero ipse explicationis causa adiicere. Attamen quum deinde diserte *consulatum* nominet, h. l. satis perspicue dictum *honos am-*

plissimus fam. vestr., et verba *hoc est consul. par. tui* glossatori tribuenda videntur. SCHUETZ.

familiarissimis suis. Qui P. Sullam defendebant. SYLV.

non succensuit. Particulam *non* expungendam arbitror. SYLV.

ad propulsanda pericula. I. e. ad reos defendendos. SYLV.

illa contentio. De consulatu. SYLV.

afflicto. Id est, damnato. SYLV.

honoris. Id est, consulatus. SYLV.

ereptum. Id est, consulatum vobis ereptum Sullae largitione. SYLV.

victi in campo. Martio scilicet, suffragiorum multitudine. SYLV.

consulatum vobis eripiebant. Id est, conabantur probare Sullam non admisisse ambitum, et ita consulem iure factum esse. SYLV. — eripiebant i. e. eripere studebant. Sic supra *consulatus vobis pariebatur*, h. e. id agebatur, ut consulatus pareretur. Cf. adn. m. ad Quinctil. X. 1. §. 59. Interpp. ad Liv. III. 21. Brunck. ad Soph. Oed. T. vs. 1441. Demosth. de Chers. §. 74. etc. FR.

CAP. XVIII.

§. 50. *quod iam ab hoc expetas.* Sic MSi et editiones vetustiores, nisi quod Dresd. et Pith. codices pro *expetas* scribunt *expectas.* GRAEV. — Etiam cod. Barb. et binae Ven. habent *expectas*, quod errore typographico nuper excusum in ed. Oliveti videtur, non ut iis edd. et MSis, qui sic exhibent, pareretur. *Ab hoc* autem non modo cum cod. Barb. aliisque plurimis eaedem illae Venetae dabant, verum etiam Naug. Hervag. Manut. Lamb. simul cum vulgato illo *expetas.* Repetitores Lambiniani pessime, nescio unde, invexerunt *ab eo*, quod Gruterus arripuit, et recentiores in viam reduci a Graevio et abstrahi a Grut. lectione non potuerunt. GARATON. — *iam ab hoc exp.* Sic edd. vett. et MSS. quod melius est, quam *ab eo*, ut vidit Graevius. ERNEST.

honor ad patrem. Sullae consulatus ad Torquatum patrem delatus est. MANUT.

insignia honoris ad te. Te enim ornat patris consulatus, Sullae ademtus. MANUT. — splendor ex eo honore redundans, quum habeas patrem consularem. MATTH. — Oratorie dictum, nec ad ἀκρίβειαν. Intelligit, patrem consularem habere, de familia consulari esse, et similia: mox et *exuvias Sullae* vocat venuste [consulatum, quasi hosti victo detractum.] ERNEST.

Tu ornatus exuviis huius venis etc. Est a Turingico, invenitque item in suis Rubenius, Electorum cap. 9. Vulgata, *tu orn. aerumnis venis;* in speciem bona; non etiam si excutias. GRUT. — In MSo est *tu ornatus eximiis*, liquet scribendum *exuviis.* Imago ab iis est, qui in bello hostem peremtum armis et ornamentis spoliant, eaque sibi circumponunt. Tale paene hoc Taciti [Histor. IV. cap. 42.] *Cum ex funere reipublicae raptis Consularibus spoliis, innoxios pueros, illustres senes, conspicuas feminas eadem ruina prosterneres.* PHILIPP. RUBENIUS.

quem interemisti. Id est, quem afflixisti, qui te accusante de ambitu damnatus est. SYLV.

me, quia defendam. Rectius puto *qui def.* pro quo saepe vitiose datum a librariis *quia* in tali structura. ERN. — Adsentitur Wolff. FR.

factum tuum. Quod Sullam accusas. MANUT.

satis idoneum officii iudicem posuisse. Fortasse hoc dicit, iudice te uti existimo officii tui satis idoneo parente tuo: id est, patrem tuum, quid te facere deceat, tibi praescribere, et accusationis auctorem esse. Satis idoneus autem filio pater est officii iudex. Vel ideo satis idoneum dixit, quasi Sullae inimicum, cui consulatum ademerat. Quis autem, qui oderit, idoneus officii iudex est? MANUT. — *satis idoneum officii iudicem.* Nimirum te ipsum. Ironice. FR. — *officii iudicem posui te.* Sic emendavi coniectura ductus: *posui* autem, id est, *statui.* [*Ich habe dich als einen hinlänglich tauglichen Richter für deine Pflicht betrachtet:* quam pulchram sententiam dicit Wolff. cui tamen

te non satis idoneo loco positum videtur. Fr.] Nam libri vulgati mendose habent, *posuisse*. Lamb. — *officii iudicem posuisse*. Erfurd. liber *officii tui iud.* non male; ceterum male Lambinus, qui emendat *posui te*; quidni enim belle dicatur, *ponere iudicem*, ut *capere*, *sumere?* Guilielmius coniiciebat, *iudicem fuisse*. Grut.

§. 51. *C. Cornelii.* Equitis Romani, quem immissum ab Autronio ad Ciceronem consulem interficiendum, supra [§. 18.] dixit. Manut. — Duo Cornelii in coniuratione fuerunt, unus P. Cornelius Lentulus Senator, qui tum praetor erat, de quo sumtum supplicium est, alter C. Cornelius eques Romanus, de quo eiusque filio hoc loco Cicero. Sylv. — Hic filius C. Cornelii subscriptor esse videtur accusatoris Torquati, ut Decianus Laelii pro Flacco 33. [§§. 82. 83.] licet ipse hic *accusare* dicatur, et infra cap. 33. [§. 92.] *accusatores* nominentur, non *accusator*. Sic ibi videbimus C. Antonium accusatum dici a Q. Maximo, M. Coelio et Caninio Gallo, quorum duos tamen subscriptores fuisse coniecimus, opinionem virorum doctorum secuti, qui unum proprio nomine accusatorem in iudiciis versatum semper esse, iustis de causis asseverant. L. Murenam duo Sulpicii, Cato et Postumius *accusare* dicuntur capp. 27. 28. pro illo. At Manut. et Ernest. in argument. Murenae accusatorem unum Ser. Sulpicium faciunt, ceteros aiunt subscripsisse. Vide III. ad Q. Fr. 1. §. 5. et III. 2. 3. 4. Garaton. — Garatonii sententiam merito probavit etiam Beck. Pueris enim *accusare* non licuit. Fr.

sapientem. Ironia; stultum enim significat. Manut.

quod praemii solet esse in indicio. In Catilinae coniuratione Senatus indicibus praemia decrevit, servis suis libertatem et sestertia centum, libero impunitatem eius rei et sestertiorum ducenta millia, ut est apud Sallustium [Catilin. cap. 30.] Vel haec praemia intelligit, vel honestatem. Honestum enim indicare occulta consilia, quae contra rempublicam capiantur. Sylv. — Additum h. l. *solet* indicat, de isto senatus decreto hic non agi. Fr. — *solet esse indi-*

cio. Sic optime Pithoei codex; quod praemium solet tribui indicio, seu dari indicibus, quod vocatur *indicina*. Vulgati, *quod praemii solet esse in indicio*, perperam eadem syllaba iterata. GRAEV. — Lamb. et Manut. veterem errorem *in iudicio* rectissime correxerunt, cum iisque dat cod. Barb. *in indicio:* neque erat causae quidquam, cur Graevius uno, nec optimo, fultus codice, praepositionem deleret, aut cur Graevium nuper Lallem. nullo addito MSorum Paris. testimonio sequeretur. Quid enim consequimur, si legamus, *indicio?* Nonne *in indicio* tum probe Latinum est, tum statim intelligitur? Nonne aptissime respondet sequentibus, *quod turpitudinis in confessione?* [Ob hoc ipsum quod sequitur *in confessione* dixit *in indicio* pro dat. *indicio*. FR.] Vide Ascon. ad Divin. II. et quae nos ibi, et ad cap. 24. pro Murena notavimus. *Indicium* est actus ipse aliquem indicandi, quod qui facit, accepta fide publica praemium habet. C. Cornelius damnationem, quam coniurationis nomine subierat, ut dictum est supra cap. 2. [§. 6.] effugere potuisset, ac praeterea pecuniam accipere, si P. Sullam ipse indicasset, aut saltem, postquam damnatus fuerat, praemium eius indicii capere cum ea coniunctum turpitudine, quam accusando per filium non vitavit. Qui enim se coniuratum, et proditorem coniuratorum fateatur, cur dubitet publice indicium facere, cur praemium negligat? Haud certe ab ea re talem hominem infamia revocat: sed potius poenae timor, quae falso indicantibus erat proposita. Nimirum C. Cornelius nihil adversus P. Sullam poterat, quod criminosum esset, adferre. GARATON.

reliquerit. I. e. consulto praetermiserit. Vid. ad Catil. III. §. 18. MATTH. — Nam si indicaret ipse, indicii praemium, id est absolutionem, consequeretur; cum vero per filium indicat, praemium reliquit. MANUT.

in confessione. Culpam enim fatetur, cum Sullae consilia sibi nota fuisse dicit, qui gladiatores Fausti simulatione ad caedem ac tumultum emerit. MANUT. — Sed videtur potius hoc pertinere ad id quod postea dicitur Cornelius confiteri cap. 18. extr. SCHUETZ.

quid est tandem, quod indicat. Verr. IV. 20. §. 43. *si emeras, quid erat, quod confirmabat* etc. Cluent. 64. §. 181. *quid est, quod minus verisimile proferre potuistis?* Itaque de or. III. 39. extr. *persaepe mihi admirandum videtur, quid sit, quod omnes translatis et alienis magis delectantur verbis, quam propriis et suis* — iniuria Ern. reposuit *delectentur*, hoc postulare Latinitatem scilicet ratus. Matthiae.

per istum puerum. Hic attendendum est, hunc Cornelii filium non fuisse P. Sullae accusatorem. Nam pueris postulare non licet, ut est in lib. Digest. 3. de postulando. Sylv.

cum Hortensio. Ipso quoque Sullae patrono. Manut. — Id est, mihi cum Hortensio communiter commissa. Sylv.

illum comitatum Autronii et Catilinae. Sic muta: *illo comitati Autronius et Catilina:* nihil vitii supererit; alioqui non explicabitur sententia. Manut. — *illum comitatum.* Indicat per puerum Cornelius. Sylv. — *sin tu ais illum comitatum Autronii* etc. Locus procul dubio corruptus, quem P. Faber Tolosanus, nunc supplicum libellorum in regia magister, vir doctissimus sic emendare ac restituere conatus est: *Si tu ais, Sullam comitatum Autronium et Catilinam* etc. in qua coniectura vult ille *comitatum* esse participium. Ego sic: *Sin tu ais, Sullam in illo comitatu Autronii et Catilinae fuisse, cum in campo* etc. Lambinus. — Ego vero in hac sententia non arbitror Sullae nomen expressum fuisse, quia postea demum quaerit: *Num quis est igitur qui tum dicat in campum adspirasse Sullam?* Malim *sin dicis illum comitatum Autronii et Catilinae.* Schuetz. — Leg. ut est in libb. quibusdam: *sin, ut ais, illum comitatum Autronii et Catilinae, quum* etc. i. e. sin, ut ais, Cornelius indicat illum comitatum, si significat, in illo comitatu fuisse Sullam. Fr.

consularibus. Id est, quibus Consules et Praetores faciendi erant. Hi enim auspiciis iisdem et comitiis fiebant. Sylv.

quae a me habita sunt. Consul enim qui in urbe erat,

comitia consularia habere solebat. Si autem uterque Consulum gerendis bellis ita occupati erant, ut neutri eorum Romam comitiorum habendorum causa venire liceret, tum ipsi alterve eorum Dictatorem comitiorum causa dicebat, qui Consulibus et Praetoribus declaratis abibat magistratu, ut amplius scripsimus in Catonem Ciceronis. Cum Cicero haberet comitia consularia, L. Catilina in campum Martium magno improborum hominum comitatu descendit, ut ipse fieret Consul. Cicero vero lata illa lorica armatus, de qua diximus in Invectivis et pro Murena, magna iuventutis Romanae caterva stipatus, Catilinae conatus repressit, fecitque ut consulatu Catilina deiiceretur. SYLV. — Cf. Matth. ad Catil. I. §. 11. FR.

praesidio firmo. Firmum praesidium a Cicerone dici alias admonuimus; bonum praesidium solent dicere. SYLV.

§. 52. *in campum adspirasse Sullam.* Id est, venisse, ut Act. in Verrem IV. [act. II. lib. II. cap. 31. §. 76.] *Quando autem homo tanta luxuria atque desidia, nisi Februario mense adspirabat in Curiam? Verum veniat sane* etc. Idem libro epist. VII. [ad Divv. 10. §. 1.] *Subinvideo tibi, ultro te etiam arcessitum ab eo, ad quem ceteri, non propter eius superbiam, sed propter occupationem adspirare non possunt.* et lib. Tusc. V. [cap. 10. §. 27.] *Occupavi*, inquit [Metrodorus], *te fortuna et cepi, omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses.* SYLV. — Cf. Verr. V. cap. 37. §. 97. Tuscul. V. 5. 13. quos locos laudat Matth. qui *adspirasse* explicat *venire ausum esse.* Idem adscripsit haec: „Recte Forcellinus ex Asconio et Manutio ad „Divin. in Caec. 5. extr. monuit gravius esse *adspirare* quam „*accedere*, et in illo inesse significationem cupiditatis cum „inani conatu coniunctae.“ FR.

si tum se cum Catilina. Argumentum est a consequentibus. SYLV.

informat ad hoc adumbratum indicium. Id est, instruit ad hanc rem, ad hanc causam. *adumbratum*, i. e. verisimile, coloratum, et ut vulgo dicunt, palliatum. SYLV. — Pith.

et Franc. prim. *informat adhoc adumbratum indicium filii;* et sic vetustiores editiones; quod perperam interpolarunt recentiores; *adhoc* ἀρχαϊκῶς scribitur pro *adhuc. Informat adumbratum indicium filii,* hoc est, in filii illo ficto indicio instruendo et componendo adhuc laborat. Utrumque vocabulum, *adumbratus* et *informo*, est a pictorum arte petitum. Adumbratio est σκιαγραφία, cum lineae modo extremae umbrae, quam corpora in sole faciunt, circumscribuntur, ut Quinctilianus ait [Institt. Orat. X. 2. §. 7.] Unde Cicero I. de Nat. Deorum [cap. 27. §. 75.] *Cedo mihi istorum adumbratorum Deorum lineamenta atque formas.* [Cf. ibid. cap. 44. §. 123.] Hinc *adumbratus* et *expressus* opponuntur: ut in Tuscul. III. [cap. 2. §. 3.] *Gloria est solida quaedam res et expressa, non adumbrata.* Sic *deformare* et *informare* est lineis in tabula formare et adumbrare ruditer eius rei effigiem, quam expressuri et accurate descripturi aut facturi sumus. Cicero I. de Orat. [Oratoris cap. 2. §. 7.] *At ego in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit.* et I. ad Attic. 1. [§. 2.] *Petitorum haec est adhuc informata cogitatio.* hoc est, candidati tantum apud animos suos haec formarunt consilia, quae num successura sint, incertum est. GRAEV. — *informat adhoc.* Antique dictum pro *adhuc*, ut habent vulgati. Graevii Codices et nostros sequimur. LALLEM. — *informat adhuc ad. i. filii.* Haec est lectio edd. vett. quam sequitur et Graevius, nisi quod pro *adhuc* habent antiquiori scriptura *adhoc*, unde factum *ad hoc*. Sensus est: adhuc laborat in indicio componendo et elaborando, ut speciem maiorem habeat, quod nunc filius rude et imperfectum edit: nam hoc est *adumbratum indicium*. Vulgo: *inf. ad hoc a. i. filium.* ERNEST. — Omnes editi, praeter Graev. et Lallem. *ad hoc*, duobus verbis; nullus, quod sciam, *adhuc*. Sed ambae Ven. et Hervag. *filii*, Naug. Manut. Lambin. Grut. Verb. Oliv. *filium.* Codex item Barber. *ad hoc adumbratum indicium filii.* GARATON.

inter falcarios. Vicus hoc nomine Romae fuit, ita dictus, quod ibi erant falcarii: ut Priscianus [Institt. gramm. XVIII. cap. 24. §. 208. Tom. II. pag. 203. ed. Krehl.] in-

terpretatur. Orat. I. in Catil. [cap. 4. §. 9.] *Dico te priori nocte venisse inter falcarios in M. Laecae domum.* Manut. — Id est, coniuratos, qui ut falcarii totam civitatem messuri erant. Sunt enim falcarii, qui falce metunt. ut in Invectiva I. in Catil. *Dico te priori nocte venisse inter falcarios, non agam obscure, in M. Laecae domum, convenisse eodem complures eiusdem amentiae scelerisque socios.* Sylv. — Hasne ineptias hic legi passus est Graevius? Tu vero consule ad eum locum I. in Catil. 4. Manutium et Bouherium. Garat. — Cf. Ern. Glossar. Livi in v. *lignarius*. Fr.

ad M. Laecam. Id est, ad domum M. Laecae, quod dicendi genus Terentio familiare est. Sylv. — Cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. IV. 3. 13. Fr. — Quidam pro *ad* reponunt *apud;* sed vulgata lectio ferri potest: nam *convenire ad aliquem*, id est ad domum alicuius, Latine dici potest. F. Urs.

nocte ea, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novembris. Quae fuit inter Non. Novemb. et VIII. Id. nam *posterum diem* valet, sequentem diem. Manut. — Manutius eam noctem intelligit, quae fuit inter Nonas et VIII. Idus, h. e. inter Nonas et postridie Nonas. Fallitur manifeste, dum post eamdem noctem, qua coniurati ad Laecam venere, a. d. VIII. Idus vocatum fuisse Senatum putat a Cicerone Cos. et primam in Catil. orationem habitam. Nox enim altera intercessit, ut ostendi ad arg. Catilinar. et diebus atris aut numquam aut perquam raro Senatus haberi solebat. Macrobius autem I. Saturn. 16. *Pontifices*, inquit, *statuerunt, postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus; atros dies habendos:* idemque docent Livius [VI. 1. §. 11.] et Ovidius. Sed fallitur etiam manifestius, dum hic non videt alterum diem post Nonas significari, non ipsum diem Nonarum. Nomen *posterus* adiectivum habet semper relationem ad aliquid aliud, quod antecedit. Peto, quidnam sit illud, quod antecedit? An nox ipsa, cuius fit mentio? at ea quidem consecuta est posterum Nonarum diem. Scilicet addidit Cicero vocem *posterum* nihil penitus significantem; cum debuisset dicere, *quae consecuta est diem Nonar. Nov.* si Nonas significare voluisset, idem tamen dicere cogetur, licet

eam vocem adiecerit. Similis huic est locus apud Tacit. I. Hist. 26. de Othoniana in Galbam coniuratione: *adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit, ut postero Iduum die redeuntem e coena Othonem rapturi fuerint, nisi* etc. Ipsone dies Iduum, an qui consecutus est Idus, designatur? Nulla certe vel mensis, vel diei, vel rei cuiuspiam gestae commemoratio antea fit, ut vox relationis *postero* adhibenda esset historico. *Posterus* igitur *dies Nonarum* vel *Iduum* aeque valet ac postridie Non. vel Idus, ex Grammaticorum sententia: *Postridie idem, quod postero die significat.* Ferr. — Sic Tacit. H. I. 26. *postero Iduum die.* Edd. vett. *nonis.* An *nonas?* quod sane melius. Ernest. — Tacitum sic emendat Ernestus: *postero statim die.* Hoc nimium sane abit a MSis, et nihil movendum arbitror. Locutionis exemplum, quod viro summo in mentem non venit, Cicero hic praebet. Sed res in eo non vertitur: Taciti quaeritur cum Suetonio concordia. Galba Pisonem adoptavit IV. Idus Ianuar. et interemtus est XVIII. Kal. Februar. ex Plutarcho in Galba cap. 24. et Tacito I. Hist. 27. Suetonius autem in Oth. cap. 6. haec habet: *Tulerat animus, post adoptionem statim castra occupare coenantemque in Palatio Galbam adgredi:* nempe ad finem illius dici, qui fuit IV. Idus. Continuere impetum coniurati: deinde *medium tempus religio et Seleucus exemit,* h. e. usque ad XVIII. Kal. Tacitus postridie Idus, per noctem, coniurationem scribit erupturam fuisse, quae in sequentem diem dilata est. Hinc facile intelligitur, cur diversam rei differendae causam Suetonius afferat. Sed illud vitari plane non potest, quin promtior apud Suetonium seditio sit. Hoc vero non puto Tacitum credidisse, ut supra cap. 23. *Sed sceleris cogitatio incertum an repens.* Suetonius tamen hoc affirmat cap. 5. *Sed postquam, Pisone praelato, spe decidit, ad vim conversus est,* et quomodo tum demum res tentata fuerit, ita narrare pergit, ut omnia fuisse ipso adoptionis die parata, non sit verisimile, praesertim si eumdem Suet. conferas in Galba cap. 18. Visum est igitur Tacito, ut etiam Plutarcho l. c. satis admirationis habere, quod in-

ter adoptionem Pisonis intercessit, et necem Galbae, quatriduum. Suetonium a Tacito, viro prudentissimo, dissentire mirum non est, cum a se ipso dissentiat. GARATON.

Catilinae denuntiatione. Catilina, ubi multa agitanti sibi nihil procedit, rursus intempesta nocte coniurationis principes convocat per M. Porcium Laecam: ibique multa de ignavia eorum questus docet, se Manlium praemisisse ad eam multitudinem, quam ad capienda arma paraverat: item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent, seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset; eum suisbconsiliis multum officere: et cetera, quae Sallustius persequitur [cap. 27. sq.] SYLV.

officiosam. Quia species quaedam officii erat in eo, cum prima luce salutatum veniret. MANUT. — Ironia est. SYLV.

prima luce. Cicero in Invectiva I. [cap. 4. §. 9.] ubi haec eadem scribit, *paullo ante lucem* dicit: *Dixisti paullulum tibi esse etiam nunc morae, quod ego viverem. Reperti sunt duo equites Romani, qui te ista cura liberarent, et sese illa ipsa nocte paullo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur.* SYLV.

consulem. Id est, me Ciceronem. SYLV.

veniret. Immo *venisset:* vulgatum vitiosum ita est, ut et tiro sentire vitium debeat. ERNEST. — Ern. edidit *venisset* nullo codice scripto editove favente. Enimvero Imperfectum positum videtur, quia verba illa etiam pendent a praecedd. *offic. prov. dep.* nam *officiosa* in eo fuit, ut *veniret* salutatum consulem, et provincia ipsi data haec, ut ad hoc officium praestandum intromissus consulem trucidaret. BECK. — *cum* est praepositio; et sensus est, Cornelium sibi hanc provinciam depoposcisse, ut ad consulem veniret cum prima luce. Sic Att. IV. 3. *Marcellus* cum prima luce *in campum currebat.* Recte igitur Beck. *veniret* restituit; modo non scripsisset *quum prima luce.* SCHUETZ. — Wolffius Beckii rationem probans contra Schuetzium monet, *cum* si sit praeposito, ante v. *intromissus* haud facile abesse coniunctionem posse. Ego copulam non valde desidero. FR.

CAP. XIX.

§. 53. *abfuit.* Beckius cum Lambino scripsit *afuit.* Cf. ad §. 14. et 8. Fr.

in iis legionibus. Quas Cn. Manlius ad Faesulas paraverat. Sylv. — *num in iis regionibus, quo se Catilina inferebat.* Vulgo *referebat*, sed contra MSos nostros omnes, in quibus tamen haerebat illud receptum *legionibus*, pro quo malui alterum, inventum alioquin in libris aliorum pluteariis. Grut. — *inferebat* omnes mei etiam confirmant. Sed *regionibus* nec in manu exarato, nec in edito ullo ante Victorii editionem legitur. Illa sola, eamque secuta Gruteriana *regionibus* prae se fert. Si ex Mediceo codice, probo; sin ex coniectura, non laudo. Nam legiones, si sic scripsit, Cicero intelligit, quas Catilina coëgerat; de quibus Sallustius [cap. 56.] *Catilina ex omni copia, quam ipse adduxerat et Manlius habuerat, duas legiones instituit.* Insolentior quidem dicendi est ratio, *quo se Catilina inferebat*, sed sive *regionibus* sive *legionibus* legas, insolentiam non minues. Graev. — Pro *regionibus* in edd. pr. est *legionibus*, quod male defendebat Graevius. Primus *regionibus* edidit Iunta, quem Victorius et alii secuti sunt. sine dubio e MS. Colotiano. Verbis, *quo se inferebat*, legiones non conveniunt, sed regiones. *Inferre se in locum aliquem* (aliquo) bene Latinum est. Vid. Intt. ad Liv. II. 5. Ernest. — Recte *inferebat* codex Barberinus cum tot aliis, quorum fuit Grutero Graevioque copia, et binae quoque Ven. exhibent. Utique *regionibus* ante Grut. reperi apud Nauger. solum: sed optime arbitror id a Grut. et recentioribus fuisse praelatum. Certe, si codices etiam omnes *legionibus* haberent, facilis, tuta et necessaria emendatio reciperetur. Inepte ab Sallustio petitur defensio mendi certissimi. Cur non eodem iure *legiones*, quae supra cap. 5. [§. 17.] dicuntur ab Autronio submissae, huc referuntur? Sed quidnam, rogo, istud est, *se inferre legionibus?* Nonne Catilinam credideris in hostium exercitum sese immisisse? Vide quae congerit ex Livio Drak. ad VI. 12. Tamen de duce ipso ad suas copias

eunte id a viro maximo defenditur, et quo magis mirere, id huic aptatur tempori, de quo Tullianus est sermo; cum Catilina duas illas adumbratas legiones nondum instituerat, ut locus ille Sallustii cap. 56. docet aperte. Quid manifestius denique, quam de *regionibus* Tullium loqui? Sequitur, *in agro, quas oras, in ea parte Italiae.* At insolens Graevio locutio videtur, quoquo modo legas. Imo nihil aptius, si cum Naug. legeris. Non equidem puto, vocem *quo* tali viro displicuisse, quae valet hic, *in quas*, et ita passim a Tullio adhibetur, et ab optimis quibusque: vide Cortium ad III. Ep. ad Div. 5. et ad Sallust. Iug. XXIV. 8. Putat igitur esse insolens, *se inferebat*, pro *conferebat.* An verbo graviore uti voluit Cicero, quo significaret armatum Catilinam hostemque patriae pestem illam et perniciem furoris sui secum traxisse? Sed *inferre se* valet simpliciter, se introferre, penetrare. GARATON.

multo etiam longius. Hae enim legiones in Etruria erant, P. vero Sulla Neapoli. Optimum autem argumentum, quo doceat Sullam ex coniuratione non fuisse, si nusquam fuit cum coniuratis, sed ab his abfuit longissime. SYLV.

in agro Camerti. Camers a Camerino, quod est in Umbria, deducitur: Camerinus a Camerio, quod in Latio deletum a Romulo est: Camarinensis, a Camarina, urbe Siciliae. MANUT.

quas oras maxime. In Gallia ulteriore et citeriore, item in agro Piceno, Brutio, Apulia motum excitatum fuisse ab iis, quos Catilina dimiserat: exque Senatusconsulto Q. Metellum Celerem in agrum Picenum, Q. Metellum Creticum in Apuliam, cum in Gallia legatus C. Murena esset, missos, Sallustius scribit [cap. 42.] SYLV.

quasi morbus quidam. Cf. adn. m. ad Quinctil. X. 5. §. 18. extr. FR.

quae maxime ea suspicione caruit. Capua tamen, quae huic vicina est, non caruit; itaque Q. Pompeius Rufus a Senatu eo dimissus est. SYLV.

§. 54. *emptos esse.* A P. Sulla. MANUT.

Fausti simulatione. Id est, simulando Faustum Sullam Lucii filium scripsisse, ut gladiatores P. Sulla emeret, quos ipse Faustus testamento patris deberet. SYLV. — Nempe Faustus Sulla L. Cornelii Sullae dictatoris filius ex testamento patris munus gladiatorium edere debebat. Tum illi P. Sullam criminabantur, quum gladiatores emeret, simulasse eos ad illud munus emere, re vera ad caedem et tumultum emisse. SCHUETZ.

interpositi sunt gladiatores. Vid. Clav. ERNEST. — Si verum est *interpositi sunt*, significat gladiatores istos a P. Sulla emptos interpositos et immistos fuisse iis, quos Faustus iam habebat. SCHUETZ. — *interpositi sunt*, ab accusatoribus conficti, explicat Ern. in Clav. At non conficti erant ii gladiatores, sed ab accusatoribus nominati, ut hoc modo invidiam Sullae facerent. Nam *interponere al.* est, uti alicuius vel opera vel nomine ad aliquid insidiose efficiendum, ut Verr. I. 11. §. 30. *interponere accusatorem.* MATTHIAE. — Eadem de h. l. sententia fuit Wolffii quoque: „Man hat von den Gladiatoren, die Faustus nach dem „Testamente seines Vaters zum Fechterspiel anzuschaffen ver„pflichtet ist, eine Veranlassung zur Beschuldigung gegen „den Sulla hergenommen, weil man nemlich sonst nichts zu „finden wusste.“ FR.

patris. L. Sullae. SYLV.

Arrepta est familia. Obiectio accusatoris, repente gladiatores illos esse emtos, ad caedem scilicet ac tumultum. Solutio: At ii si emti non essent, alios emere potuit, quibus Fausti munus praeberet. Est autem brevi cum obiectione brevis item coniuncta solutio: ut obiectionis infirmitatem solutionis brevitas ostendat; infertur enim solutio per praenomen *quae;* nam cum dici posset, *At ea si esset praetermissa*, dicitur, *quae si esset praetermissa.* Sic pro Archia [4. §. 9.] *At domicilium Romae non habuit is, qui tot annis ante civitatem datam, sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit.* Familia *servos* hic designat; servi autem gladiatores, ideoque emuntur. *Arrepta* properationem Sullae ementis ostendit: quod infra

quoque confirmatur: *Properatum vehementer, cum longe tempus muneris abesset.* Ex quo miror, cum nec obscuritatis, nec vitii sententia quidquam habeat, cur nonnullis locum mutare, et pro *Arrepta* reponere, *At emta*, in mentem venerit. MANUT. — In aliis codicibus melius scriptum est: *At emta est.* SYLV. — *At emta est familia.* Sic reposui, reclamantibus libris omnibus, quos quidem viderim, qui habent, *Arrepta est familia;* obiiciebant enim adversarii P. Sullae emtam esse gladiatorum familiam per simulationem munerum, quae L. Sulla Faustus populo daturus esset. Sic infra paullo post: *Nec opinante Fausto, cum is neque sciret, neque vellet, familia est comparata.* Sed quid eam confirmare opus est, cum Henricus Stephanus se ita scriptum reperisse in codice manuscr. asseveret? LAMB. *Arrepta est familia.* Sic legitur cum in aliis edd. tum vero in Manutiana. At tu ex veteri codice pro *Arrepta* repone *At emta.* Sic modo dixerat *gladiatores emtos:* sic et mox dicet, *familia est comparata:* item, *ut emat gladiatores et ut hos ipsos emat.* HENR. STEPH. — Lambinus, *At emta est familia*, invitis libris; magisque significatur cupiditas emendi *arripiendi* verbo. GRUT. — Vide et Manutium de his et sequentibus. GRAEV. — Recte quidem infra: *At praefuit* etc. primum enim illud crimen de emtione familiae quadripartitum est, ex quo alterum consequitur, praefuisse P. Sullam emtae familiae, quasi a superiore diversum. Sed hoc loco coniunctio *at* in lectione Lambini, *At emta est*, non recte posita videtur, cum vel omnibus membris huiusce disputationis affigenda fuerit, vel primo tantum: praeterea post emtos gladiatores repetere emtam familiam, insulsum esset. Manutius in his vulgatis, *Arrepta est familia*, quae recte defendit, crimen contineri putat, et ea, quae sequuntur, habere solutionem. Mihi vero ne id quidem probatur: obiiciebat enim Torquatus, properatum fuisse, *arrepta est*, ut paullo post apertius: si alios emere deinde potuit, id profecto negare non poterat, quod erat obiectum. Quo porro tunc illa referuntur de invidia, de exspectatione? Quapropter ego sic explico: Accusator ait: *Arrepta est familia*,

quae si esset praetermissa, *posset alia familia Fausti munus praebere:* arguebat igitur Sullam, quod ingentem familiam et robustam arripuisset, quippe ad vim caedemque opportunam, cum mediocris alia familia Fausti muneri satis esset. [Suspicor legendum esse: *posset* alitâ familiâ Faustus *munus praebere* h. e. etiamsi illa gladiatorum familia non esset empta, Faustus ea gladiatorum familia, quam iam ante aluerat, posset munus illud praebere. SCHUETZ.] Cicero contra: *Utinam quidem haec ipsa non modo iniquorum invidiae, sed et aequorum exspectationi satisfacere posset:* eum esse numerum gladiatorum et robur contendit, cui ne amici quidem adquiescant, nedum invidi: cum munus multo splendidius exspectaretur a Fausto, nobilissimo et ditissimo adolescente. FERRAT. — *Arrepta est familia.* Nempe festinata Sullae emtione per speciem muneris. ERNEST. — Falso Camerarius lectionem *At emta* Naugerio tribuit, qui a vulgata non discessit, ut neque cod. Barb. Eam tamen in sec. ed. adoptavit Hervagius. Forte fuit in alia veteri aliqua. GARATON. — *Arrepta*, summa cum festinatione empta, quamvis *familia* gladiatorum, si ea *praetermissa*, non empta, *esset*, *alia familia* Fausti, alii F. servi vel gladiatores, *posset*, ubi nos diceremus, *potuisset*. (vid. ad Catilin. II. §. 3. Tusc. III. 22. §. 54. *si aliquot annis post idem ille liber captivis missus esset, vulneribus mederetur.* Sic statim post: *quasi vero tempus non valde appropinquaret.* nam appropinquabat tempus.) Respondet Cicero, alios servos Fausti ita non idoneos esse muneri gladiatorio, ut ne aequorum quidem exspectationi satisfacere possent. MATTH.

familia. Gladiatorum. SYLV.

praetermissa. Id est, non empta. SYLV.

munus. Gladiatorium. SYLV.

haec ipsa. Quam vos reprehenditis, et unde argumentum ducitis, de caede ac tumultu Sullam cogitasse. MANUT. — Familia gladiatorum empta. SYLV. — Sc. interpositis istis aucta. SCHUETZ. — Schuetzii explicatio admitti non potest. Intelligitur illa *alia familia*. Cf. Matth. FR.

iniquorum invidiae. Qui Fausto invident propter opes

ei a Sulla patre relictas: quibus non satisfacit haec familia, ut exigua, parum respondens eius honoribus, cui mortuo dabatur. Manut. — *non modo iniquorum invidiae, et aequorum exspectationi.* Significat hanc gladiatorum familiam eiusmodi fuisse, ut ab ea nihil metuendum fuerit, cum ipsa vix credatur posse aequorum exspectationi satisfacere, cum depugnabit in ludis funebribus, quos Faustus in honorem patris faciet. Mos enim erat, ut in honorem virorum clarissimorum funebres ludi celebrarentur, iisque gladiatores adhiberentur. Ut Scipionem ad vota Diis solvenda munusque gladiatorium, quod mortis causa patris et patrui paraverat, anno post eorum mortem sexto redisse Carthaginem, T. Liv. lib. XXVIII. [cap. 21.] scribit. Sylv. — *iniquorum invidiae, sed et aequorum* etc. Liber manuscriptus Memmian. habet *iniquorum invidiae esset* etc. plane mendose. Cur igitur hanc scripturam antiquam propono? ut videat lector, in hac ipsa antiqua depravata esse rectae et verae lectionis vestigia; nam *iniquorum invidiae esset,* si litteras spectes et syllabis mutatis unum *s* de verbo *esset* detrahas, reperies *invidiae set.* Iam vero veteres librarios scripsisse *set,* per *t,* non ut nos, *sed,* per *d,* constat inter omnes. Ex his autem scripturae veteris vestigiis videtur ita legendum: *iniquorum invidiae, sed aequorum* etc. deleta copulatione *et,* quae est in libris vulgatis; ego tamen nihil muto. Lamb. — Eadem plane, quae codicis Memmiani, est etiam Barberini et utriusque Venetae scriptura: neque si quis copulam deleat, repugnabo. Ita infra cap. 27. [§. 76.] *In qua non modo tot, sed unus tam crudelis hostis patriae sit inventus.* Ex hoc autem loco potissimum tempus eruitur, quo haec habita oratio est. L. Sulla anno DCLXXV. moriens, parvulumque Faustum filium relinquens, ei testamento praescripserat, ut ludos gladiatorios populo daret, cum per aetatem posset, annorumque saltem XVI terminum constituerat legato praestando. Fausti propinquus P. Sulla erat an. DCXC. in Campania: qua in regione optimas gladiatorum familias fuisse constat. Ad eum et ad alios ibidem commorantes Faustus scripsit, ut sibi gladiatores emerentur.

Hoc P. Sullae crimini dare Torquatus non potuisset, nisi ardente aut iam erumpente coniuratione fuisset actum, ad exitum nempe anni DCXC. Quid enim aliud potuit Torquatus dicere, nisi hoc, P. Sullam ludorum simulatione gladiatores emisse, quibus coniuratorum conatus adiuvaret: cum autem detectam et oppressam coniurationem viderit, tum a Fausto petiisse, ut ad suos ludos iis gladiatoribus uteretur, quo facinoris cogitationem ita obtegeret, ut argui et illustrari difficillime posset? Iam vero Dionem audiamus lib. XXXVII. pag. 60. [pag. 143. 35. ed. Reimar. Tom. I. pag. 362. Sturz.] *Κἂν τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ Φαῦστος ὁ τοῦ Σύλλου παῖς ἀγῶνά τε μονομαχίας ἐπὶ τῷ πατρὶ ἐποίησε, καὶ τὸν δῆμον λαμπρῶς εἱστίασε· τά τε λουτρὰ καὶ* [τὸ] *ἔλαιον προῖκα αὐτοῦ παρέσχεν. Sub idem tempus Faustus Sullae filius ludos gladiatorios in honorem patris exhibuit, populumque lauto convivio excepit, et balnea oleumque vulgo praebuit.* Quid est *αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ*? Nimirum ludos fecit hos Faustus anno DCXCIII. Afranio et Metello Coss. si Manutium audias ad cap. 13. in Vatin. et Freinsh. Suppl. Liv. CIII. 64. cum Dion ibi proxime Q. Metelli Nepotis praeturam commemorarit, quam illi et Pighius eo gestam fuisse anno recte intelligebant. Quod si ita est, vere obiiciebat Torquatus, *properatum vehementer*, emtis gladiatoribus anno DCXC. *cum longe tempus muneris abesset*, h. e. anno DCXCIII. Falso autem Tullius respondet: *quasi vero tempus dandi muneris non valde appropinquaret.* Ut mendacium tollatur hoc nimis impudens, videtur mihi potius datum Fausti munus fuisse anno DCXCII. et quidem ab anno superiore dilatum: nam verisimilis non est integri dilatio biennii. Huic meae sententiae Dionem refragari non arbitror: apud quem acta Caesaris Hispaniensia subsequuntur. Profectus est autem Caesar ex Praetura in Hispaniam mense Martio anni DCXCII. ut ostendit Wesselingius cap. 39. Probabil. pag. 376. rediitque Romam certe ad Consulatum petendum non multo post eumdem sequentis anni mensem. Biennium ille coniungit: ut mirum esse non possit, si extremo loco in rebus urbanis id, quod erat levissimum, col-

locarit, Fausti nimirum ludos, licet hi Praeturam Metelli paullo antecesserint. Neque moveor l. c. in Vatin. *Fausti, adolescentis nobilissimi, paullo ante* (h. e. paullo ante annum DCXCIV.) *ex epulo magnificentissimo famem illam veterem tuam non expleras?* Magis enim aequum est, meo iudicio, haec Vatinianae verba, *paullo ante*, latius accipere, quam ista Torquato dicta, *valde appropinquaret*. Denique ita statuo: primum constare hanc ante Fausti ludos habitam esse orationem; idque ipsum Tullium ostendere, dum ait, *quos testamento patris videmus deberi*, neque enim *debetur*, quod est persolutum; atque iterum, dum subdit, *satisfacere posset*, non *satisfecisset* aut *satisfacere potuisset:* deinde cum duo relinquantur anni, quibus in P. Sullam exerceri iudicium potuit, priorem, DCXCI. scilicet, esse praeferendum, ut aliae coniecturae suadent ad arg. expositae, quo ipso, vel certe sequenti, Fausti munus, etiamsi non fuit exhibitum, ex testamento videtur exhibendum fuisse. GARAT.

exspectationi. Maiorem enim familiam et magnificentiorem apparatum a Fausto exspectabant. MANUT.

Properatum vehementer. A P. Sulla in emendis gladiatoribus, ut iis non ad Fausti munus, cuius longe tempus aberat, sed ad caedem ac tumultum uteretur. Obiectio accusatoris est. MANUT. — Id tanquam ab adversario obiectum, sibi proponit Cicero refutandum, estque hic locus altercationi similis. SYLV.

Nec opinante. Pro, non opinante; numquam enim hoc participium cum *non* Cicero coniungit. In epist. [XIII. 18.] ad Sulpicium: *Admirabar magis, te ultro ad eum scripsisse, eique nec opinanti voluntatem tuam tantam per litteras detulisse.* Et haec obiectio est. MAN. — Obiectio est adversarii. SYLV.

§. 55. *At litterae sunt.* Respondet Cicero. SYLV.

ad L. Caesarem. M. Antonii, qui postea triumvir fuit, avunculum. MANUT. — Cf. ad §. 56. FR.

Pompeium. Sullae nepotem ex filia. Pedianus in arg. or. pro Mil. MANUT.

C. Memmium. P. Sullae privignum, ut epist. 3. lib. III. ad Qu. fratr. MANUT.

At praefuit familiae Cornelius. *Familiae*, gladiatorum. Sylv. — *At praefuit familiae Cornelius.* Dele hic nomen *Cornelius*, quod est in libris vulg. et subintellige, *P. Sulla.* Nam, quamvis Sullae *Cornelii* sint, nomen Cornelii tamen, quod huc ab aliquo indocto illatum est, cum supervacaneum est, tum sententiam obscurat, atque adeo corrumpit. Lambinus. — Aut *Cornelius* abundat, quod arbitror: aut P. Cornelius Sulla, pro quo est oratio, designatur: qui tamen Sulla semper, numquam Cornelius, appellari solet. Manut. — *Cornelius*, non is, qui modo index nominatus est, sed Sullae libertus, ut expl. Orell. Quod si verum est, mirae obscuritatis h. l. reus est Cicero, duos homines uno nomine appellans, nulla nota addita, qua discerni possint. Itaque idem Orell. excidisse suspicatur *Sullae libertus*, ut coniecturam fulciat. Quis credat etiam in sqq. verba *in comparanda familia* ad Sullam spectare, *praefuit* ad Cornelium? *Praefuisse* Sullam familiae gladiatoriae Cornelius criminatus fuerat, non Cicero; quod hic ita elevat, ut dicat, hoc nihil ad rem pertinere, tum ne verum quidem esse; nam Bellum praefuisse: hoc enim est *eaque res*, antea verbo *praefuit* commemorata — quo ipso apparet non Cornelium praefuisse. Matthiae.

ferramenta. Quibus gladiatores in pugna uterentur. Manut. — Schuetzio legendum videtur: *sed tamen obtulit se ad ferramenta muneri servili prospicienda.* Repugnat Wolff. dubitatque num unquam gladiatorium certamen *servile munus* dictum fuerit. Immo *munere servili* significat *in dem Geschäft eines Sklaven*, *als ein dienstbarer Sklav.* Fr.

eaque res. Totum illud negotium, quod per Sullam administratum esse, cum eum praefuisse dicunt, adversarii probare conantur. Manut.

per Balbum, Fausti libertum. Maluit hoc e Turingico Guilielmius; quod nomen esset Romanum: prius cusi, *Bellum*, quod et in Pall. omnibus. Gruter. — *Bellum* iure restituerunt Orell. et Matth. Fr.

CAP. XX.

§. 56. *At enim Cincius.* Nostrum quidam *Siccius*, quod et in Turingico: et Suffridus Petreius eumdem putat, quem bello Africo [cap. 36.] Hirtius, sive quis alius est, nominat. Grut. — Sane *Sitius* legitur in Dresd. In Francii primo, *Cicius*, cui tamen aliqua manus, sed antiqua adscripserat, al. *Sitius*. Graev. — Cod. Barb. et ambae Ven. firmant vulgatam *Cincius*. Garaton. — Beck. hic et postea dedit *Sittius* partim Codd. partim Cortii ad Sall. Catil. 21. auctoritate. Est autem *P. Sitius Nucerinus*. Fr.

L. Iulio et C. Figulo Consulibus. L. Iulius Caesar et C. Martius Figulus Consules fuerunt, anno proximo post L. Torquatum et L. Cottam. Iisdem Consulibus Ciceronem Consulem designatum fuisse, Asconius [vid. Cic. Orell. Vol. II. P. I. pag. 521. sq. Fr.] significat. Sylv.

aliquanto ante furorem Catilinae. L. enim Caesare et C. Figulo Coss. circiter Kalendas Iunias coepit coniuratio Catilinae, ut Sallustius [Catil. cap. 17.] scribit. Sylv. — *aliquanto.* i. e. multo ante. Fr.

magna ratione. In codicibus aliis scriptum est *magna ratione pecuniae.* Sylv. — Cum in libris MSis Memmianis reperissem scriptum, *magna pecuniae ratione*, ego, levi immutatione facta, *magna pecuniae ratione* edendum curavi. Lambin. — *magna ratione* etc. Subintellige, *pecuniaria*: male enim ii codd. scripti, qui sufficiunt, *magna ratione pecuniae*; neque ea vox reperta in MSis melioribus. Grut. — Prior Ven. cum MSo Steph. *magna ratione pecuniae.* Licet autem id verbum *pecuniae* etiam in Memmianis addatur, non dubito, quin debeat repudiari. Quomodo irrepserit, docet Cod. Barb. in cuius margine adnotatur, *scilicet pecuniae.* Gar.

cum Mauritaniae rege. Cum Hiempsale, qui nominatur Agr. I. [cap. 4. §§. 10. 11.] Manut. — Mauritania Africae regio est extrema, versus Gaditanum mare. Sylv.

Sulla procurante eius rem. Id est, cum P. Sulla eius procurator esset. Sylv.

quae causa ceteros. Vid. Catil. II. 3. Ernest.

ad facinus. Id est, ad coniurationem. Sylv.

diminutis. Id est, a P. Sulla venditis. Removet itaque causam Cicero, ut P. Cincium non fuisse ex coniuratione ostendat. Sylv. — Nonnullae edd. atque Codd. Oxon. *diminutis* pro *deminutis.* Emendavit iam Lamb. Fr.

§. 57. *mandare.* Id est, mittere. Sylv. — Non dubium est, quin pro *mandare* legendum sit, ut est in antiquo libro, *amandare.* Sic pro Quint. 15. [§. 49.] *infra etiam mortuos amandatur.* Ita enim legitur in edd. emendatioribus, cum in aliis legamus, *mandatur.* Sed in orat. ad Quirit. 4. [§. 10.] uno consensu omnes, quas vidi, editiones sic habent, *infra omnes mortuos amandatus esset.* Ne hoc quidem, licet leve, omittere volo, paullo post pro *dimittendum esse* legi in veteri *dimittendum a se.* Henr. Stephan. — Utramque lectionem admisit Lambinus, de suis MSis nihil monens. Infra nihil muto. Sed hic *amandare* praefero, licet in unico id codice inventum hactenus videatur. Deturbatum idem verbum fuerat, priore omissa littera, non modo in iis edd. quas iure Stephanus reprehendit et ibi Hottom. verum etiam in MSis omnibus Gruterianis. Etiam vide V. L. eo cap. 4. ad Quir. Quam recte hoc ex loco quidam sentiant, *mandare* Ciceronem usurpasse pro *mittere*, facile iudicatur. Vix est credibile. Sed inepte laudant pro se locum alterum ex I. ad Attic. 10. [§. 3.] Nizoliana depravatione decepti: legunt enim, *typos tibi mando, quos possis includere,* contra Tullii sententiam, quae postulat *possim*, ut edidit cum plerisque Graevius et ipse in ed. Ienson. MCDLXX. conspexi. Si alii, quos ignoro, proferantur loci, parata quidem medicina est: verumtamen ex his, modo sint certi, vulgatam hic potius retinebo. Male autem, ut puto, ambae Ven. codexque Pith. ac Barb. denique, *et mandare in ultimas terras virum, quo facilius* etc. Garat. — Nisi *mandare* hic putemus esse *mandata dare.* Beck.

in ultimas terras. Id est, in ulteriorem Hispaniam. Sylv.

si in Hispania turbatum esset? Quid apertius? Cur igitur placet nonnullis, *si in Hispania turbatum isset?* MANUT. — *Turbatum isset?* habent libri veteres, praeclare, si subintelligas, *Cincius*, et si eam scripturam conferas cum lectione vulgata: *si in Hispania turbatum esset:* verum tamen hanc vulgatam damnare non ausim. LAMB. — Sic sane Pithoei codex, *turbatum isset.* Sed ceteri respuunt et Manutius, quem vide. GRAEV. — MSS. quidam *isset*, quod placet valde Lambino, intellecto *Cincius.* Sed ita etiam *Hispaniam* scribi deberet. Vulgatum bene habet; si per eum motus in Hispania concitati essent. ERNEST.

At haec ipsa. Obiectio est. SYLV. — *haec ipsa*, sc. quae Romae conabatur, *agebantur per se s. c.* ipse solus poterat facere, sine socio Cincio, nec eo opus habebat. Est obiectio Torquati. [Immo ipsius Cic. verba sunt.] Nescio, quare in hoc loco haeserit Graevius, et eum corruptum putarit. ERNEST.

haec ipsa. Quae P. Sulla conabatur. SYLV.

sine ulla coniunctione. Etiam Cincii. SYLV. — Quid sibi haec velint, *sine ulla coniunctione*, non video: quid si legendum dicamus, *sine ulla coitione?* quid si, *sine ulla concitatione?* LAMB. — Dresd. *At ipse per se sine ulla coniunctione agebantur:* Mediolan. ed. *At ipsa per se sine ulla coniunctione agebatur.* Si fuisset tum quidam tumultus aut bellum in Hispania, facile Mediolanensis editionis lectionem amplecterer, cuius haec possit esse sententia: Ipsa per se Hispania sine instinctu Cincii agebatur, sive agitabatur ad rebellandum ac novas res moliendas. Sed non tam dure et obscure Cicero scribit, ne dicam in Hispania, Sertorio diu ante interfecto, fuisse omnia tranquilla. Locus est corruptus. Nulla idonea sententia ex editis potest elici. Nam si *haec ipsa* capias de iis, quae moliebatur Sulla in urbe, ut arguebant eius inimici, quid sibi volunt, *per se agebantur sine coniunctione*, sive subaudias Cincii, sive Hispaniae? GRAEV. — Ex his verbis nullam posse idoneam sententiam elici, recte iudicat Graevius. Forte legendum cum nota interrogationis: *An haec ipsa per se sine ulla*

coniunctione agebantur? quae scilicet Romae Sulla, Cincius in Hispania moliri dicebantur. Ita sensus constat. LALL. — Ferratius nihil mutat, atque his verbis Tullium ita respondere arbitratur: At coniuratio, quae Romae fiebat, nullo modo provinciarum discordiis nitebatur, neque ab ulla alia re, nisi a se ipsa, pendebat. Verum id quidem de Hispania et remotioribus regionibus est. At in Etruria, Piceno, Apulia, Gallia motus excitaverant coniurati, et cum Allobrogibus societatem iniverant: de qua natione verissime Horatius XVI. Epod. 6. *Novis rebus infidelis Allobrox.* Ego sane, quidnam hic rectum sit, definire non audeo. Sententiam video apertiorem fieri emendatione Lallemandi: et voculas *at* et *an* passim permutari scio, ut supra cap. 17. [§. 49.] Immo in cod. Barberino illud ipsum *an* superscriptum antiqua manu reperi codicis lectioni *at*. Contra explicatio Ferratii potest fortasse aliquo modo defendi. Sed, meo iudicio, locus maiore indiget medicina, quam non conabor sine melioribus MSis adferre. GARATON. — Schuetz. legit *sine illa* (sc. cum Hispania) *coniunctione*, ut nihil opus esset Sitium in Hispaniam mittere. Hanc explicationem miram dicens Wolfius in ea est sententia, ut pro *at* legendum *an* existimet, quod vel propter praeced. *utrum* prorsus necessarium sit: „Wollte er den Sittius nach den entferntesten Ländern schicken (*utrum Sittium voluit amandare in ultimas terras, quo* etc.) um desto leichter seine Unternehmungen in Rom auszuführen, wenn Unruhen in Hispanien entstanden wären? oder (*an*) wurden diese Unternehmungen selbst, sowohl in Rom, als in Hispanien, ohne einige Verbindung mit einander betrieben?" In Hispania utrum omnia tranquilla fuerint, an non fuerint, h. l. nihil referre; certe Sittium suspectum fuisse. FR.

amantissimum sui. Non qui se ipsum amabat, sed si eum Catilina [Sulla] amantissimum sui, hoc est, ipsius Catilinae [Sullae], censuisset, quod nequaquam fecit. Respicit igitur reciprocatio ad principale suppositum, sicut in Andria [act. IV. sc. 2. vs. 4.] *Rogat hera, si se amas, ad se venias.* SYLV.

Verisimile non est, ut, quem in secundis rebus etc. Dii maleficiant semidoctis istis, qui quae non intelligunt, inquinant, et sincera vasa, ut aiunt, incrustant: quod cum saepe et multis locis factitarunt, tum hoc loco. Nam haec verba, *verisimile non est*, quae reperiuntur hic in libris omnibus, ex eorum officina nata sunt: sic enim currit oratio et sententia: *An in tantis rebus, tam novis* etc. *dimittendum a se arbitraretur? ut, quem in secundis rebus, quem in otio secum semper habuisset, hunc in adversis et in eo tumultu, quem ipse comp. a se dimitteret?* Atque haec eadem verba supra in oratione pro Roscio Amerino [cap. 42. §. 121.] et in lib. IV. Accusat. [cap. 6. §. 11.] non longe a principio inculcata videri ostendimus. LAMB. — Lambinus voces tres priores, quamvis omnium scriptorum editorumque, tamen pro imperio suo exturbarat: ego reposui: neque enim a Lambino docendi sumus, quae loquendi ratio sordida sit, quae minus. GRUTER. — *Verisimile non est.* Deleri vult Lambinus, suntque et Rosc. Am. 41. [*Non est ita profecto, iudices; non est verisimile, ut Chrysogonus horum litteras adamarit.* ubi etiam Matth. *verisimile* delendum putat, quia *non est verisimile* minus sit quam quod praecedit *non est ita profecto.* Sed haec ratio mihi quidem non satisfacit. FR.] Verr. IV. 6. [*Verisimile non est, ut ille homo tam locuples, tam honestus, religioni suae monumentisque maiorum pecuniam anteponeret.* FR.] suspecta. Sed si ea absint, ultima *ab se dimitteret* non bene conveniunt verbis superioribus, *dimittendum esse arbitraretur*, et esse deberet, *secum non haberet*, aut simile quid. ERNEST. — Veram huius structurae [quae est etiam pro Sext. cap. 36. §. 78. ubi cf. Ernest.] rationem reddidisse mihi videtur *Etzler* in *Jahrb. d. Philol.* VIII, 1. pag. 98. sqq. MATTH.

§. 58. *non enim mihi* etc. Cincium ab huius rei suspicione liberat, quo facilius eum ab Sulla dimissum non esse ostendat. SYLV.

deserenda est causa. Deserit enim patronus, ut bis

ante dictum est [ad cap. 7. §. 22. et 1. §. 3.]: ut prodit parens, deficit socius. SYLV.

ac disciplina. Ambae Ven. *aut disciplina.* Quam saepe ista commutentur, ignorat nemo. GARATON.

eum bellum reipublicae facere voluisse. Maluisset Guilielmius, *populo Romano*, sed non respondent libri. GRUT.

cum ceteri deficerent. Sociali bello. MANUT. — In bello Italico. SYLV.

negotii gerendi. In Hispania enim et cum rege Mauritaniae negotiatus est: vel *negotii gerendi*, id est, mercaturae exercendae. SYLV.

quidquam oneris sustinerent. A creditoribus. SYLV.

ullam moram. Ultra diem praescriptum. SYLV.

§. 59. *Illud erat genus hominum — qui.* Cicero in secunda Invectivarum [cap. 8. §. 18.] coniuratorum primum genus eorum esse dicit, qui magno in aere alieno maiores etiam possessiones habent: quarum amore adducti, dissolvi nullo modo possunt. Sed hosce homines minime pertimescendos, quod aut deduci de sententia possunt, aut si permanebunt, magis ii videntur vota facturi contra rempublicam, quam arma laturi. De his coniuratis aere alieno oppressis illud Ciceronis est in lib. de Offic. II. [cap. 24. §. 84.] *Nunquam*, inquit, *vehementius actum est, quam me Consule, ne solveretur. Armis et castris tentata res est ab omni genere hominum et ordine. Quibus ita restiti, ut hoc tantum malum de republica tolleretur. Nunquam nec maius aes alienum fuit, nec melius, nec facilius dissolutum est. Fraudandi enim spe sublata, solvendi necessitas consecuta est.* SYLV. — Vid. Addenda. Similis structura est Catil. II. §. 21. *Quartum genus est sane varium — qui iampridem premuntur* etc. ubi vid. Matth. FR.

qui tanto amore suas possessiones amplexi tenebant. Orat. II. in Catil. [l. l.] *Unum genus est eorum, qui magno in aere alieno maiores etiam possessiones habent: quarum amore adducti dissolvi nullo modo possunt.* MANUT.

cognationem. Quae disiungi non potest; aliena duxit,

non cognata: itaque facile est adductus, ut ea ab sese removeret. MANUT. — *nunquam sibi cognationem* etc. Id est, *praedia sua nunquam ita amavit, quin a se, si quando opus esset, alienaret.* Praediorum nullam gentem esse, in eadem fere re Cicero dixit pro L. Cornelio Balbo [cap. 25. §. 56.] SYLV. — Eleganter. Nempe cognatio est a natura, nec tolli potest. ERNEST.

CAP. XXI.

§. 60. *Iam vero quod subiicit* etc. Liber manuscr. habet, *quod obiicit:* ego tamen nihil muto. LAMB. — Est quoque in Dresd. et Pith. *Iam vero, quod obiicit.* GRAEV. — Est praeterea in utraque Ven. et in cod. Barb. *obiicit.* Utrum praeferas, non laboro. GARATON. — Glossema tamen sapere videtur lectio *obiicit.* BECK.

Pompeianos. Ab oppido Pompeiis. MANUT. — Pompeii oppidum fuit in Campania, prope Neapolim. Ii a populo Romano devicti, parte agri multati sunt. Eo a Triumviris, in quibus P. Sulla erat, colonia deducta est. Inter Pompeianos et Colonos exorta seditio est, quod nollent Pompeiani Colonis tantum ius suffragii ferendi ac magistratus gerendi esse, quantum sibi. Hanc seditionem a Sulla excitatam dixit Torquatus, ut Pompeianos in sua potestate haberet, iisque ad hanc coniurationem uteretur. SYLV.

ut hoc dissidio et dissensione. Legendum fortassis est, *ut hoc discidio* etc. Quid sit discidium autem, saepe iam et multis locis docuimus. LAMBIN. — *Discidio* coniiciebat Lambinus. At id est in edd. pr. Sed post *discidio* lenius est *dissensione:* deberetque esse *discessione? Dissidio* inde a Iuntina editione est in omnibus. *Discidio* tacite restituit Gruterus, quem Graevius sequitur. male. Ego *dissidio* restitui, tum quia id *dissensione* requirit, tum quia post sola *dissensio* memoratur. ERNEST. — Quamquam in ed. MCDLXXXIII. diserte legatur *discidio*, quod ex Lambini suspicione arripuerunt Gruter. Graev. et Verb. tamen cum Oliv. et Lall. vetus est restituenda et firmior lectio *dissi-*

dio, quam servat cod. Barb. prior Ven. Naug. Herv. Manut. et ipse Lambinus, quam denique iure tuetur in Indice Cl. Ernestus. GARAT. — Cf. Opusc. Ruhnk. Vol. II. pag. 523. ed. Friedemann. FR.

ad patronus. Id est, ad Triumviros, qui eam coloniam deduxerunt, ad eosque, qui oppidum expugnaverunt aut in deditionem acceperunt, qui more maiorum patroni erant. SYLV.

exagitata. Inter ipsos. MANUT.

cognita est. Id est, diiudicata. SYLV.

ceterorum. Patronorum: nam in his Sulla erat. SYLV.

Sulla dissenserit. Qui et ipse patronorum unus erat. MANUT.

§. 61. *ex hac frequentia colonorum.* Colonos legatos publice missos ad hoc iudicium cum P. Sullae laudatione significat. SYLV.

in omni fortuna, atque omni honore. Sullae damnatio de ambitu designatur. MANUT. — Nam de ambitu condemnatus est. SYLV. — *Si in omni fortuna atque in omni honore.* Pith. uterque Franc. Dresd. Pith. ed. prima: *Si in omni fortuna atque in omni honore.* Cur posteriores particulam hanc spreverint, nescio. Iidem libri statim, ut et Mediolan. *per vos tutari conservarique cupiunt*, quam lectionem si recipiamus, *tutor* passive ponitur, quod Priscianus lib. VIII. [Inst. Gr. cap. 4. §. 20. Tom. 1. pag. 373. ed. Krehl. Cf. ibid. pag. 380.] affirmat, qui ait *tueor* et *tutor* tam active quam passive sumi: vid. Vossii de analogia lib. III. cap. 6. GRAEV. — Sola ex meis libris prior Veneta exhibet, *atque in omni honore.* Eadem vero cum altera MCDLXXXIII. et codice Barb. librorum Graev. lectionem, *tutari conservarique*, confirmat, quae tum numeros meliores videtur efficere, tum ab imperitis immutata, qui passivum deponentium usum Tullio dignissimum, ab eoque pluribus locis adhibitum ignorabant. Vide ad II. in Verr. 73. III. 43. et ad II. Agrar. 21. Certa verumtamen ex his restitutio non est, cum saepe noverim contigisse, ut duo coniuncta verba eo-

dem modo desinere coacta fuerint a librariis, et Lamb. atque Grut. vulgatam in suis MSis reperisse videantur. Ego vero, cum haec intelligam, nihilominus veteres editiones et Graevii codices sequor. Garaton.

in hoc tamen casu. Cum de coniuratione accusatur. Sylv.

tutari conservarique. Sic edd. pr. usque ad Iunt. item MSS. Aldus correxit *conservareque* dedit, idque omnes secuti sunt, nempe quia *tutari* non videbatur convenire. Offendit aures nimis *conservareque.* Itaque vetus restitui. *tutari* passive dicitur. Veteres Grammatici ita dici *tueor* et *tutor* monuere, ut ex iis Graevius docet. Paullo ante *in* addidimus cum Graevio ex edd. pr. et MSS. ante *honore.* Ernest. — Etiam aliis locis passivus Deponentium usus librarios offendit. vid. ad II. in Verr. 73. III. 13. II. Agr. 21. Beck.

qui ab illis. Sullae accusatoribus. Manut. — Colonis. Sylv.

de ambitione. Id est, de magistratuum petitione. Sylv. — Idem liber [vid. supra ad §. 60. in.] habet, *qui ita de ambulatione,* quod quid sibi velit, nescio. Lamb. — *de ambulatione.* Antea legebamus, *ambitione;* non fide MSorum, aut veterum editionum, sed Critici alicuius. Certe alteram scripturam inveni in omnibus Pall. reperitque in Barber. et S. Vict. Guilielmius, ut etiam in Memmiano Lambinus; qui tamen quaerit, quid hoc sibi velit? Guilielmius interpretatur *porticum;* ut in ipso Cicerone saepe alias; et Catullo [carm. LV. 6.] *In magni simul ambulatione.* De porticu ergo dissensere cum colonis Pompeiani; qua de causa paullo post Turingicum libenter secuti sumus Palatinosque omnes, in quibus *reipublicae fortuna,* non *populi Romani,* quod ne quidem in antiquitus cusis; accipiendaque respublica Pompeiorum, [perperam, iudice Beck. Fr.] distracta disiunctione veterum novorumque incolarum: fuisse autem hominum istud genus natura turbidum, hauriamus etiam ex Tacito lib. XIV. Annal. cap. 13. Gruter. — *ambulatione* tuentur quoque quatuor libri veteres a me consulti et editio prima. Graev. — Item ambae veteres Venetae et codex Barb. Garat. —

de ambulatione et de suffragiis. Sic est in edd. vett. intelligendaque porticus, in cuius usu ad deambulandum aliquid controversiae habuisse videntur veteres Pompeiani et cives. Male correctum est *ambitione*, primum in ed. Mediolan. quam ceterae secutae sunt. Ernest. — Wolffio lectio illa *de ambitione* ceteris verbis (*de suffragiis*) melius respondere videtur, ita ut, si libri addicerent, eam se praelaturum fore significet. Fr.

qui ita — dissenserunt, ut idem — sentirent. Cf. §. 58. et ad cap. 15. §. 42. Fr.

§. 62. *cum ab hoc illa colonia deducta sit.* Dominante L. Sulla. Manut.

cum commoda colonorum. Manutius Pompeianorum incommodum hoc loco tangi suspicatur, quos L. Sulla civitate ac iure suffragii privaverit. Adductus fortasse fuit ea, quae praecessit, suffragiorum mentione. Sed liquido patet, Pompeianos de suis suffragiis contendisse cum colonis, cum in creandis eius civitatis magistratibus eaque gerenda rep. utrique superare alteros niterentur. Cum autem P. Sulla colonos in agris constituere non posset, quin ab iis dimoveret Pompeianos, veteres cives; et quod percommodum colonis fuerat, habere agros, quos antea non possedissent, item Pompeianis esset incommodum ab antiquis possessionibus belli iure depelli; optime idcirco dicitur fortuna populi Romani colonorum commoda a fortunis Pompeianorum divisisse. Deinde non puto Pompeianos fuisse in iis Italiae populis, quibus civili bello et civitas et agri ademti sunt; eos enim neque Cicero, neque Florus usquam nominat. Dictator Sulla quosdam omnibus agris et iure civitatis lege lata spoliavit; deque iis intelligendus est Florus III. 21. [§. 27.] *Municipia Italiae splendidissima sub hasta venierunt.* Plurimos alios agrorum parte multavit, deductis in eorum urbes colonis, inter quos Pompeiani etiam fuerunt, proindeque cum *veteribus coloniis* recensentur II. Agrar. 31. [§. 86.] cui quidem coloniae deducendae hic ipse P. Sulla dicitur praefuisse. Imo id ipsum, quod latum a Sulla fuerat de civitate quibusdam Italiae populis adimenda, irritum plane fuit,

teste Cicerone pro domo 30. [§. 79.] Ius igitur civitatis Romanae neque fuit Pompeianis ademtum, neque ullo modo illi poterant cum colonis hac de re dissidere. FERRAT.

populi Romani fortuna. Opinor, quia Pompeianos L. Sulla civitate et iure suffragii privaverit. MANUT. — Nam populi Romani fortuna fecit, ut Romani victores essent, ideoque Pompeianos agri parte multarent. SYLV. — *reipublicae fortuna diiunxerit.* Ita libuit scribere, cum viderem haerere in Turingico *disiunxerit*, haberentque quidam nostrum *dimiserit*, quidam *diiusserit*, vulgata *diviserit*, quod natum ex *divixerit*, in quam vocem degeneraret *iunxerit.* GRUTER. — *reipublicae* legitur in omnibus MSis quatuor, sed et *diviserit;* assentior tamen Grutero. GRAEV. — Quamquam *diviserit* codex Barber. et editi mei omnes ad Gruterum usque tueantur, id pro Tulliano habere non possum, multoque praestat optimi Turingici lectio. Ex *disiungere* in MSis aliquando fieri *dividere*, notae Cortii ad Sallust. Iug. XCII. 5. et Drak. ad Liv. XXXVII. 33. satis ostendunt. At cur non ipsum Turingicum sequitur Gruterus? cur illi paret Graev. et Verb.? Scio istam nonnullorum codicum scripturam (an autem mendum, nescio) captasse Gebhardum ad I. ad Div. 9. et ad Liv. XXXII. 21. Gronovio et Graevio adsentientibus, verbum dico *diiungere.* Verum Drak. de veterum Grammaticorum sententia, quam laudat ad XLII. 59. omnibus Livii locis praetulit cautius sane *disiungere*, idemque hoc loco fecerunt probe Olivet. et Lallem. multoque potiori de causa, cum nullus habeat codex diserte *diiunxerit*, tantum Palatini quidam *diiusserit.* Quod si aliquid est ex ingenio promendum, ego quidem malim *deiunxerit*, quod huic loco aptissimum iudico. Vide interpretes ad cap. 32. pro Caecina, atque illas observa in Livii MSis varietates, XXXVII. 33. *disiunxerant*, *deviserat*, *devinxerat*, *deiunxerant.* Quod autem ab Naug. editum fuit, et ab Hervag. et Lamb. ceterisque ante Gruter. *populi Romani fortuna*, id mihi ab hoc loco postulari videtur: neque veterum editionum MSorumque dissensu moveor, cum perpetua notarum commutatio in omnes locos huiusmodi varietatem intulerit,

neque doctorum virorum hac in re concertationes, de quibus egi ad I. in Catil. 6., hactenus me deterrent. Garaton. — *reipublicae* Pompeianae *fortuna*, qua a Romanis devicti sunt Pompeiani, effecit, ut *commoda colonorum*, quibus agri assignandi erant, *fortunis Pompeianorum*, qui in illorum gratiam de agris suis demovebantur, adversarentur. Matth. — Recte. Fr.

alteros. Pompeianos. Sylv. et Man.

dimovisse. Colonis inductis. Manut. — *demovisse*. Id est, agri parte abire coëgisse. Sylv. — Naug. et Man. aliique, *dimovisse*, usque ad Lambin. cuius emendatio ab omnibus deinde recepta, *demovisse*, firmatur ab ambab. Ven. et Herv. et cod. Barb. Garaton.

C A P. XXII.

gladiatores. Supra nominati. Man. — *At enim et gladiatores*. L. Caecilius tribunus plebis legem ferre conatus est, qua poenam ambitus aliis legibus [lege Calpurnia] constitutam diminueret, [ita ut damnatis de ambitu liceret iterum petere magistratus] in gratiam fratris P. Sullae, de ambitu damnati. L. Torquatus dixit Caecilium ea lege voluisse rescindere iudicium, quo Sulla de ambitu condemnatus fuerat. Id Cicero refutat. Sylv. — Schuetzio propterea quod sequitur *atque* — *invectus est* post v. *gladiatores* excidisse videtur *inquit*. Fr.

rogationis Caeciliae causa. Ut per vim ferretur lex, quam frater P. Sullae Caecilius tribunus pl. de minuenda ambitus poena promulgaverat. Man. — Id est, legis Caeciliae, quam L. Caecilius tribunus plebis ferre volebat. Sylv.

prudentissimum. Legitur in veteri libro *pudentissimum* pro *prudentissimum*. Hic certe error non uno in loco est in vulgatis editionibus. Nam et VII. ep. ad Fam. 5. bona pars editionum habet: *probiorem hominem*, *meliorem virum*, *prudentiorem esse neminem:* cum legendum sit *pudentiorem*. Pudorem autem cum alibi, tum in hac ipsa oratione commendat Cicero cum ait: *Non cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc ho-*

minem ista suspicio. cap. 27. H. STEPH. — Errorem omnium ad suam aetatem, quos viderim, editorum correxit Stephanus, Lambinusque illi et omnes postea paruerunt. GARAT.

de levanda. Quia damnatus fuerat Sulla de ambitu; eam poenam nova lege Caecilius minuere cupiebat. MAN.

fratris sui. P. Sullae. Sulla Caecilii frater fuit, vel quia ex eadem matre nati sunt. Servius in libro Commentariorum in Aeneida Virgilii [ad lib. V. vs. 412.] ex Varrone scribit: *Fratres germanos appellari eos, qui sint eadem matre, quamvis ex eodem patre non sint:* ut fusius pro A. Cluentio. Vel quia alter alterius sororem in matrimonium habuit. Ut Cicero pro Domo sua [cap. 27. §. 70.] et de Responsis haruspicum [cap. 21. §. 45.] Q. Metellum P. Clodii fratrem appellat, quod sororis eius maritus fuerit. SYLV. — De fratribus germanis ex matre observationem celeb. Wesselingii dedimus ad I. Verr. 49. Ex Servii loco, quem ille allegat, existimare aliquis posset, P. Sullam et L. Caecilium non ex eadem matre, diversoque patre genitos fuisse, verum potius hunc Sullae ex eodem parente fratrem per adoptionem in gentem Caeciliam transisse. Verum divinare in eiusmodi re nolim. In eo fallitur Sylvius, quod ait de Metello. Cicero pro Domo 27. Q. Metellum Nepotem fratrem appellat Clodii, et de Harusp. Resp. 21. fratrem item Clodii appellat Q. Metellum Celerem, cui, malo suo, nupta erat famosa P. Clodii soror. Quid ita? Nimirum ambo Metelli fratres erant patrueles Clodii, ut ipse ostendit Cicero pro Coel. 24. quod Manut. aliique cum Hottom. ad cap. 10. post red. in Sen. ita intelligunt, ut consobrinos fuisse puteut sive amitinos: quales etiam Caecilius et Sulla esse potuerunt. GARATON.

ut consultum esse voluerit fratri, cum republica pugnare noluerit. Secutus MSos nostros eieci voculam *tamen*, quae in nullo comparebat; iidem praeterea agnoscunt *consul esse*, quod mutari potuerat in *consulere*, uti venerat in mentem Guilielmio. GRUT. — Non tamen paruerunt operae Grutero. Ego nunc *tamen* delevi fide quoque utriusque Francii et Dresdensis, nec non editionis primae. In praecedentibus uterque Fran-

cii et editio prima legit, ut coniecerat Guilielmius, *ut consulere voluerit fratri*, cum in Dresd. et Pith. scribatur corrupte, ut in nonnullis aliis, *consul esse*. GRAEV. — *ut consultum esse voluerit fratri, tamen cum rep.* etc. Vocem *tamen*, quam ignorant codices nostri, delevimus. LALLEM. — Recte: nam Oliv. et Verb. non paruerunt Grutero et Graevio. Ceteri editi antea omnes quoque habent illud *tamen*, quod rectius abest. Item editio MCDLXXXIII. atque omnes deinde, hac una excepta Graeviana, exhibent *consultum esse*, quod a MSis Lall. confirmari vides. Prior tamen Ven. *ut Consul esse voluerit: tamen cum rep.* mendose admodum: et vero ex *consulere* factum primo *Consul esse*, deinde emendatum, *consultum esse*, mihi quoque videtur. Cum hac Ven. consentit Cod. Barb. sed recte vocem *tamen* omittit. GARAT. — *consultum esse vol. fratri, cum rep.* Edd. ante Gruterum habebant, *tamen cum rep.* ut edd. pr. pleraeque. Gruterus deleri volebat *tamen*: operae servarunt. Non est in MSS. plerisque, nec in ed. W. et inde ductis, nec coit cum ceteris. Sed in edd. pr. locus etiam alio modo corruptus est; ut R. Br. 1480. etc. *ut consul esse voluerit, tamen* etc. ERNEST.

promulgarit. Id est, aliquot dies proposuerit, ne intelligas eum tulisse. Nam promulgare legem et ferre idem non esse, ex hoc loco facile cognoscas. SYLV.

fratris auctoritate. Quia Sulla eum removit a consilio ferendae legis. MAN. — Nam P. Sulla mandavit, nolle se illam legem ferri. SYLV.

deductus. Id est, dissuasus. SYLV.

§. 63. *per L. Caecilium.* Quia Caecilius eam legem promulgaverat. MANUT. — Dum Caecilius accusatur, magis spectatur Sulla, quam Caecilius ipse; nec aliam ob causam ea de Caecilio dicuntur, quam ut Sulla suspectus criminis fiat. ERNEST.

uterque laudandus: primum Caecilius, qui fratris calamitatem levare poena legis mitiganda voluerit, laudem meretur: deinde Caecilium, qui id promulgarit, in quo

— — — *rescindere, ut Sulla restitueretur, S. r. r.* Duo fere versus fuerant a scriptore librario omissi; quos ego partim coniectura ductus, partim ab antiquis libris adiutus, repraesentavi: errans scilicet librarius in nominibus *Caecilius* et *Caecilium*, a *Caecilius* ad *Caecilium* trasilierat: et ita versum unum integrum omiserat, quem restituimus. Lamb. — *in qua re est uterque laudandus: primum Caecilius, qui id promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluissé rescindere, ut statueretur: Sulla recte reprehendit: status enim.* Locum aperte corruptum ita Pantagathus restituebat: *in qua re est utique laudandus per eum Caecilius, qui si promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut restitueretur S., recte reprehendis: status enim* etc. F. Ursin. — *primum Caecilius* etc. Malui locum notare asterisco quam admittere Memmiani codicis scripturam Lambini coniectura ferruminatam. Erat viri probi seorsum exhibere codicis MSi lectionem, et sic deinde subiicere divinationem suam. Nostri Palatini octo nihil variant, nisi quod sept. *Caecilium.* Henr. Stephanus laudat e MSo: *primum Caecilius, qui id primum promulgavit, quo fratris casum levare posset: quem quia res iudicatas* etc. quod sane admisissem, si tale quid offendissem in nostris aut ulla veteri editione; interim uno stare libro et tali quidem, qui nunquam forte fuit in rerum natura, non est nostrum: vix oculis meis credo, nedum ut linguae alienae. Grut. — Sic et libri, quos ego consului, ut illi, quos evolvit Gruterus, nisi quod Dresd. et primus Francii pro *promulgarit* prae se ferant *promulgare.* Graev. — Cum lex Calpurnia de ambitu et ordinem Senatorium et ius petendorum magistratuum iis, qui damnati essent, adimeret; L. Caecilius trib. pl. anno DCXC. Cicerone Cos. promulgaverat legem, quam tamen non pertulit, ut damnatis de ambitu liceret iterum petere magistratus, idque in gratiam P. Sullae fratris sui, triennio ante damnati. Hoc Torquatus obiecerat, et diluit ingeniose Tullius. *Atque in ea re per L. Caecilium Sulla accusatur, in qua re est uterque laudandus.* Huius propositionis confirmatio corruptissime legitur. Lambinus multo pluribus verbis, quam

erant necesse, ita emendavit: *Primum Caecilius, qui fratris calamitatem levare poena legis mitiganda voluerit, laudem meretur: deinde Caecilium, qui id promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut Sulla restitueretur, Sulla recte reprehendit.* Ego vero sic malim: *Primum Caecilius, qui laboraverat, ut frater restitueretur: deinde Caecilium, qui id promulgarit, in quo r. i. v. v. rescindere, Sulla recte reprehendit.* Quod irrepserat in alterum membrum, *ut statueretur*, emendatum in primo reposui. Ceterum, ut Cicero sibi constaret, necessario fuit aliquid addendum de laude Caecilii: infra enim non eius laus est, ut vulgo creditur, sed excusatio. Duo adverbia *primum* et *deinde* optime sibi respondent, quorum alterum habet Caecilii laudem, ex amore fraterno, alterum Sullae, qui communem utilitatem et salutem habuerit potiorem sua, ut ex ratione statim addita colligitur, de qua nulla iam est controversia. FERRAT. — *primum Caecilius* — — — *reprehendit.* Sequor Gruterum, qui locum ita reliquit, ut in libris scr. et edd. reperitur. Frustra hic coniecturae sine libris exercentur. ERNEST. — Repeto hic mehercule, quae de codice Stephani ad cap. 32. pro Flacco dicebam. Si codices, quos non inspeximus, exstitisse umquam pernegare ius est, quam iniqua et misera erit antiquitati omni statuta conditio. Codex autem ille, satis probus, meo iudicio, cuius causa notulas suas confecit vir magni nominis Henr. Stephanus, paullo aliter lacunam hic supplet manifestam, atque a Grut. relatum est; ita scilicet: *Primum Caecilius, qui id promulgarit, in quo fratris casum levare posset: quem, quia res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut desisteret, Sulla recte reprehendit.* Ego sane ita ederem, cum nihil melius aut tutius hactenus prolatum sit. Mira est illa varietas, *ut desisteret:* ex qua tamen ortum videtur Naugerianum illud, *ut restituerent*, medio scilicet alio mendo interposito, *ut resisterent.* Infra cod. Urs. *ut tueretur*, unde Lall. coniiciebat *ut fratrem tueretur.* Melius fortasse, *ut se tueretur*, quod proxime accedit vulgatae. Imo totum id potest auferri, nullo detrimento sententiae.

Cod. Barb. est, ut solet, cum vulgatis mendosus. Garat. — Stephani lectionem si probes, est genus anacoluthiae pro eo quod proprie dicendum erat: *in qua re est uterque laudandus, primum L. Caecilius, qui id promulgarit — deinde P. Sulla, qui reprehenderit.* Sed quid facias verbis *ut desisteret* vel *ut statueretur?* Fr.

voluisse rescindere. Hic locus emendatus non est, ibique pauca deesse videntur. Sylv.

ut statueretur, Sulla reprehendit. Pro *statueretur* habet scriptus liber, *tueretur:* a qua scriptura quod nimis recedit amici mei coniectura, eo mihi minus placet, qui putat legendum esse: *in fratre tum Sulla, qui de se reprehenderit.* Paullo post, *ut quisquam saluti suorum consulat,* legit Ant. Augustinus pro, *de salute.* F. Ursin.

ut quisquam de salute suorum consulat. Videtur sic usitatius fuisse dicturus, *ut quisquam saluti suorum consulat* etc. Lamb. — Nihil facilius est, quam cum Augustino, Lambino coniicere *saluti.* Sed qui librarius hoc in illud mutaverit? Etiam *poenam ferre* non usitatum est. Ergo corrigemus *de poena ferebat?* multa talia sunt in oratoribus et poëtis, quae non sunt tentanda statim et ad vulgarem rationem revocanda, si modo non prorsus cum analogia linguae pugnent. Ernest. — Differre etiam formulae, *consulere saluti,* ad salutem aliquid conferre, et *de salute consulere,* una cum alio quodam salutis rationes et consilia inire, videntur. Fortasse tamen scriptum fuit: *ut quisquam, dum saluti suorum cons.* Beck. — *de salute suorum consulat.* Id est, consilia agitet, consultet. ad Attic. VII. 13. *Aliter mihi de illis ac de me ipso consulendum est.* i. e. statuendum, aliud consilium capiendum. Usitatius esset hoc sensu *saluti suorum consulat.* Matth.

eam ferebat. Placet quod aliis, *auferebat;* nisi si dicas, voluisse Caecilium eam ferre poenam, non quae cum ultima lege, (ultima autem Calpurnia tunc erat, qua Sulla damnatus est) sed quae cum superioribus congrueret: in quibus aliquanto levior, quam in ultima, ambitus poena constituta erat; ut *superioribus legibus* valeat, iis, quae ante

ultimam latae fuerant; *nuper* autem sit, non multo ante ultimam. Manut. — *sed poenam ambitus auferebat.* Sic habent libri manuscripti Memmiani et item is, quo usus est Henricus Stephanus. Lamb. — *ambitus eam ferebat.* Lambinus citat codd. in quibus *ambitus auferebat;* ita nulli e nostris; itaque sustineo me cum P. Manutio. Gruter. — Nostri quoque libri „(item cod. Barb.)“ et editiones antiquae *ferebat:* ne dicam *auferre poenam* vix Latinas aures ferre. Graev. — *auferebat.* Cum P. Sullae laus aliquam videatur habere Caecilii reprehensionem, qui supra a causa finali laudatus fuerat, hoc iterum excusatur ab effectis. *Nihil tamen de iudicio ferebat, sed poenam ambitus auferebat, quae fuit nuper superioribus legibus constituta.* Transitus ille ab Sullae laude ad excusationem Caecilii, nulla particula adiecta, quae rem utramque connecteret, violentus mihi visus est. Hinc addidi *tamen:* gravissimorum interpretum auctoritatem secutus lego *auferebat*, neque idcirco ab oratoris sententia discedo. Quid enim superioribus et maxime Calpurnia C. Pisonis Consulis latum fuerat? ut ambitus condemnati omnium honorum petitione et Senatu carerent. Quid promulgaverat Caecilius? ut iidem magistratus petere possent, et iure magistratus, quem assequerentur, recuperarent ordinis ornamenta. Ita Caecilius sua rogatione auferebat poenam ambitus, superioribus legibus constitutam. Ferratius. — Est tamen in omnibus libris *ferebat*, et *superiores leges* sunt potius eae, quae Calpurniam antecesserunt. Beck. — Lambini lectionem probat etiam F. A. Wolfius ad IV oratt. pag. 198. *poenam auferebat* dixit, quod bene observat Matth., ut hac *παρονομασίᾳ* melius responderet praecedenti *ferebat.* Fr.

superioribus legibus. Non multo ante lex Calpurnia lata fuerat, quae damnatis de ambitu poenam pecuniariam addebat. Sylv. — *quae fuerat nuper sup. leg. const. Nuper* possit inculcatum videri, ortumque e primis syllabis verbi sequentis. [Delevit Schuetz. tanquam prorsus otiosum, merito improbante Wolfio. Fr.] Interpungendum forte post *nuper*, ut sensus sit: quae non ante multos annos, ante

Calpurniam a. U. 686. latam fuerat, constituta illa legg. super. Sed in eo inest aliquid duri. *Superiores leges* distinguuntur a *proxima*, ut supra Verr. III. 18. et pro Arch. 5. censores *proximi* et *superiores*. nam *proxima* est illa quidem ipsa etiam superior, sed in hac significatione solet addi *proxima*. Ernest.

queritur. Ut nimium gravi. Manut.

damnatio — est iudicum etc. Id est, damn. per iudices s. iudicio constituitur; poena lege finitur. Cf. Matth. ad Catilin. I. §. 4. Fr.

§. 64. *Noli igitur*. Videtur scribendum *nemo*, ut ante: quia in altero membro sic est. nec de solo Caecilio dicit, sed iis omnibus, qui ei legi fautores et adiutores erant. *Igitur* hic est de genere, ut supra *itaque*. Ernest. — Nihil mutandum, modo, quod feci, post *causa* plene interpungatur, ubi in ed. Ern. comma, in aliis colon fuit. Scilicet repetit deinde verbis *Nemo labefactare* etc. ea, quae ante fuerant dicta. Beck.

eorum ordinum qui praesunt iudiciis. Id est, senatus et equitum. Sylv. — Nempe ex lege Aurelia, quae tum valebat: i. e. senatus, equitum et tribb. aerar. Ernest. — Vid. Ruhnken. ad Vell. Pat. II. 32. §. 3. Fr.

perpetuandam. Id est, perpetuo servandam. *Perpetuare* quamvis raro dicatur, eo tamen verbo Cicero usus est etiam in libro de Oratore tertio [cap. 46. §. 181.] *Clausulas*, inquit, *atque interpuncta verborum, animae interclusio atque angustiae spiritus attulerunt. Id inventum est ita suave, ut si cui est infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare verba nolimus*. Sylv. — Pal. secund. *perpetuam quamdam legis acerbitatem* etc. Gruter.

CAP. XXIII.

Si paullo etiam longius. Id est, si Caecilius fratris causa aliquantulum peccasset. Sylv.

finis quotidiani officii. Id est, honestas. Idem. — Non est consilium off. nos *Zweck*, qua vi nondum a Cicer. usur-

patur *finis*, sed terminus, ad quem quotidianum officium progredi debet, paulo longius quam quo per quotid. off. progredi licet. MATTH.

L. Caecilium protulisset. Id est, provexisset. SYLV. — Guilielmius mutari voluit ultimam in *propulisset*, ex Turing. translatione a pastoribus ducta; nostri nihil variabant: GRUT. — *Protulisset* est provexisset, ut saepissime. Orat. pro Muren. [cap. 31. §. 65.] *Stoici mihi videntur fines officiorum paullo longius, quam natura vellet, protulisse.* GRAEV.

sensus vestros. Id est, quid sentiretis, si in loco Caecilii essetis. SYLV.

errato veniam L. Caecilii. Verba *L. Caecilii* male inserta videntur. Iis deletis oratio melius procedit. BECK. — Verba ista delevit Schuetz. praesertim quum ordinem verborum perplexum redderent. FR.

humanitate communi. *Communes hominum sensus* vocat pro Cluent. §. 17. FR.

§. 65. *posita est in senatu.* Ex Suffridi Turing. Guilielmius probabat *deposita est in senatu*; nostri tamen adhaerent vulgatae *posita.* GRUT. — Sic et nostri. GRAEV. — Dici videtur, ut ponere rationem. vid. Clav. in *ponere.* [*posita est*, deposita, abiecta ab ipso eius auctore Caecilio. Matth. cum Garaton. FR.] Sed quomodo populum latuit, cum proposita fuerit, ut ante dixit, etsi paucos dies? Debet de legislatione intelligi, nisi quis malit cum Graevio delere, cum verbis sequentibus *pop. Rom. latuit*, in quo et *Romanum* friget. Totus locus est in libris valde vitiosus et valde in eo variant libri scripti et editi. ERNEST.

populum Romanum latuit. Quomodo populum Romanum latuit, cum fuit proposita, sive, ut paullo ante loquitur, promulgata: *in ista rogatione, quam promulgavit.* Quid enim est proponere aut promulgare legem, quam in tabella descriptam in publico loco affigere et legendam per trinundinum omnibus exhibere, ut cives possent examinare et perpendere, num trinundino elapso roganda sit lex promulgata, necne? Praeterea Cicero non scripsisset: *popu-*

lum Romanum latuit, sed more Latino; uti in aliis locis dixit, ut vidimus in Catilinariis, *populo Romano latuit*. Locus est valde contaminatus, quod et MSi et veteres arguunt editiones. Franc. secundus et editio prima: *Nunquam posita est in senatu: relaturi cum in Capitolium nos senatum convocassemus*. Pith. *posita est in senatu*, *r. lati cum in Capitolium*. Mediolanensis editio: *ferri coepta: numquam posita est in senatu: rogatio lata est: cum in Capitolium nos senatum convocassemus*. Victor. editio: *ferri coepta*, *numquam posita est in senatu*, *populum Romanum latuit*. Cum diu de hoc loco cogitassem, animadverti, haec verba, *posita est in senatu*, *populum Romanum latuit*, esse spuria et supposititia, ut non tantum sententia et Romani sermonis integritas postulat: (quid enim est *ponere* aut *deponere legem in senatu?* quomodo potuit populo Romano latere, quod propositum est?) sed et veteres, uti vidimus, libri, in quibus *pop. Rom. latuit* non legitur. Videntur autem irrepsisse, cum oscitantia librarii repetita esset vox *posita* ex praecedente versu: *lex dies fuit posita paucos*; sic enim pro *proposita* legitur in Pithoeano: et itidem repetita vox *senatum* ex sequente versu. Forte margini fuit adscriptum *rogatio*, quod est in Mediolanensi. Spero omnes, qui iudicio valent, mihi, ubi verba ineptissima recte consideraverint, assensuros. Delere tamen nondum ausus sum, quia *posita est in senatu* in omnibus codicibus legitur. Si vel unus melioris notae illa non agnovisset, uti nonnulli non agnoscunt sequentia *populum Romanum latuit*, ea delevissem. Nunc et hic pannus purpurae Tullianae, ut multi alii, adsutus est ferendus. Graev. — Meo tamen iudicio potest hic locus, non dicam in integrum restitui, sed melius constitui. Saltem, quam nobis facultatem codices praebent, eam non negligamus. Mendacium illud, *popul. Rom. latuit*, cur Tullio adhuc inique adfingamus? Desunt ea verba in priori quoque Veneta, quae cum Franc. sec. etc. plane consentit. Altera Veneta Mediolanensi praeiverat, glossamque diversam exhibens, utramque convellit. Quamobrem, donec melius aliquid nanciscamur, ita legendum censeo: *Lex dies*

fuit proposita paucos: ferri coepta nunquam: deposita est in Senatu: relaturi cum in Capitolium nos etc. Sunt huius lectionis auctores codices duo, Francii secundus et Pithoeanus, duaeque item vetustissimae ac praestantissimae editiones, altera anni MCDLXXII. quam Graevius primam appellat, altera mea Veneta MCDLXXX. Tantum ex optimo MSo Turingico assumsi cum Gulielmio, *deposita.* Nimirum hoc dicit Tullius: legem hanc in Senatu *depositam*, h. e. abiectam fuisse ab ipso eius auctore Caecilio: cum quidem Consul Cicero Senatum convocasset, de lege illa ad Senatum *relaturus.* Prima fuit ea relatio Consulis illo die, dixitque tunc Praetor Metellus, quid sibi Sulla mandasset, quem lex ambitus a Senatu removerat atque aliena uti voce coegerat. Statim, aut certo paullo post, Caecilius se legem deponere professus est: cum, ut modo cap. 22. dictum fuit, *destiterit fratris auctoritate deductus.* Ita mihi videor sententiam non contemnendam elicuisse, summa erga codices religione servata. Fons mendorum videtur fuisse vox *relaturi* ante *cum* posita, more non vulgari, sed tamen venusto. [At hoc ipsum insolens est, nec quid venusti in ea collocatione sit, video. Beck.] Alii fecerunt inde, *ro. laturi*, atque hinc exstitit absurdum illud, *rogatio lata est.* Alii *r. p. laturi*, unde solita notarum conversione alterum profluxit absurdum, *p. r. latuit.* Cod. Barb. *posita est in Senatu, r. lat....* reliquae exesae litterae, quae forte vocem *laturi* terminabant. Garaton. — Cum *ponere* legem [cf. pro Planc. 29. §. 71.] ita intelligi possit, ut sit, in senatu de ea agere *(aufstellen)*, populum autem Rom., etsi proposita, latere potuerit, quia non in comitiis de ea lege per paucos tantum dies proposita fuerit actum, unde etiam *Romanum* (quod frigere Ernestio videbatur) additur, quia de populi comitiis accipiendum: reliqui verba suo loco, etsi nondum persuasum est, vera et sana ea esse. Concinnitas tamen membrorum, quae ita existit, iis favet. Beck.

cum in Capitolium nos senatum convocassemus. Apparet, consulem fuisse Ciceronem, quo anno Caecilius tribunus pl. fuit. Manut. — Significat Cicero, se consule L.

Caecilium hanc legem ferre voluisse. Senatum enim Cicero consul in Capitolium convocaverat, ut ad eum de hac lege referret. SYLV.

actum prius. Quam senatum convocassemus. SYLV. — Quam de hac lege. FR.

mandato Sullae. Optime Pithoeanus: *mandatu Sullae.* Sueton. Iul. 7. *Cum mandatu Praetoris iure dicundo conventus circumiret.* Sic fere malunt veteres, quam *mandato.* GRAEV. — Fuit in eadem opinione Lambinus, qui unus ante Graev. dederat, *mandatu.* Sed neque ullum laudavit ille codicem, neque solus Pithoeanus mihi sufficit, ut *mandato* submoveam, quod in ceteris omnibus scriptis et editis inventum est atque a recentioribus merito revocatum. Similem varietatem vidimus pro Caec. 7. pluraque huiusmodi alii collegerunt. [Cf. Sueton. Iul. cap. 7. FR.] GARATON. — Graevius e MS. Pithoei dedit *mandatu.* non displicet. *Id* etiam h. l. friget. ERNEST. — Wolffius hunc locum sic constituendum esse suspicatur: *Q. Metellus praetor dixit, Sullam istam rogationem de se ferri nolle, et id mandato Sullae se loqui.* FR.

Q. Metellus praetor. Metellus Celer, qui post biennium, legitimo intervallo, cum Afranio consul fuit. MANUT.

dixit. In Senatu. SYLV.

de republica egit. E republica legendum arbitror. *E republica* dici suavius, quam *ex republica* Cicero auctor est in libro de Oratore ad Brutum [cap. 47. §. 158.] Id autem significat, ad utilitatem reipublicae, ut in libro epist. ad Brutum [I. ep. 5.] *Cui cum essem assensus, decrevi hoc amplius, ut tu, si arbitrarere utile fore et e republica esse, persequerere.* item [I. ep. 2.] *Quod scribis posted statuisse te ducere exercitum in Cherronesum, nec pati sceleratissimo hosti ludibrio esse imperium populi Romani, facis ex tua dignitate et e republica.* et libro de Oratore secundo [cap. 28. §. 124.] *Multas etiam e republica seditiones saepe esse factas, ut cum reges essent exacti,* [*ut*] *cum tribunitia potestas esset constituta.* SYLV. — *multa e republica egit.* Sic emendat Henricus Stephanus plane in-

geniose et erudite. LAMBIN. — Non emendat tantummodo Stephanus, verum firmat emendationem hanc sui codicis auctoritate, quam cum Lambino sequor, ceteris omnibus repugnantibus scriptis et editis. GARAT. — „Stephani lectio „etsi valde blanditur“ inquit Beck. „et placuit unice Garatono, tamen non videtur vera esse, quia h. l. universa „haec sententia praemittenda erat sequentibus, multa tribu„num negotia publica tractasse, deinde demum de *commo„dis reipubl.* diserte dicitur.“ Stephani lectionem bene probat Schuetzius: „Nimirum“ inquit „his verbis universe signifi„catur, *multa Caecilium gessisse e rep.* h. e. reip. utilia: „quae deinde singula enumerantur.“ Beckium sequitur Wolfius. FR.

agrariae legi. A Rullo promulgatae: contra quam exstant Ciceronis [tres] orationes. MANUT. — Quam P. Servilius Rullus [trib. pleb.] ferre conatus est, quam Cicero consul dissuasit. SYLV.

intercessorem fore. Id est, ut aliquis ex Tribunis plebis intercederet, quo minus ea lex ferretur. Unius enim Tribuni plebis intercessio sufficiebat ad impediendam rem, quam reliqui Tribuni ferre conarentur. SYLV. — An excidit *se* post *fore?* [Vid. ad §. 39. FR.] Etiam ante pro *est* malim *erat.* ERNEST.

onere deposito domestici officii. Omisso consilio ferendae legis, quam promulgaverat impulsus amore fraterno. MANUT. — Relicta cura rei domesticae. SYLV.

§. 66. *ne per vim quid ageretur.* Respondet ad illam obiectionem, de qua supra [§. 62.] *At enim et gladiatores et omnis ista vis rogationis Caeciliae causa comparabantur.* MANUT.

quis tamen vestrum. *Quis tandem vestrum,* aptius videtur scribendum. SYLV. — *quis tamen nostrum.* Recentiores *vestrum;* sed alterum est a MSis et vett. edd. Lambinus voluit, *quis tandem vestrum.* GRUT. — Uterque Francii et editio prima, *quis tum vestrum.* Omnino *tum* reponendum: *nostrum* retinendum ex Mediolanensi et aliis

melioribus. GRAEV. — *Tamen* est alienum. Lambinus corrigebat *tandem.* Graevius *tum* e MSS. suis bene reposuit. Sic et ed. W. Sed tota constructio vitiosa est: *ne quid ageretur* — —. *Sullam et C. verebatur.* An corrigendum *ageret* vel *agerent*, quod est exquisitius, pro, *ne Sulla et C. per vim quid agerent.* ERNEST. — Equidem existimarem, vocc. *Sullam aut Caecilium* a glossatore profecta esse, nisi sequens *Autronii* nomen ea requireret: *ageretur* propterea positum est, quia non ad solum Sullam et Caecilium, sed Autronium aliosque simul spectat. BECK. — *quis tum nostrum.* Vox *tandem* ab eodem erat Stephani codice: nostri editi omnes habent *tamen* cum cod. Barber. quod a recentioribus etiam relatum fuit. Haec tria passim verba inter se commutantur: et optime Graevius elegit. GARATON. — Mihi *tamen* non modo plurium librorum auctoritate firmari, sed etiam maiorem vim interrogationi addere videtur. Hoc dicitur: etsi illa rogatio ferebatur, tamen non metuebamus, ne per vim res ageretur. BECK. — Wolfio magis etiam *tandem* placet quam *tamen.* FR.

nonne omnis ille terror, omnis etc. Posterioribus editionibus exciderant, *omnis ille terror;* reposui ex MSis et vetuste impressis. GRUT. — Sunt ea verba in utraque Ven. Herv. Naug. et Lamb. Quod autem deerant in Manutianis, ridicule fuerant a Lambinianae repetitoribus expuncta. Alio tantum ordine, *omnis terror ille*, vidi in ed. MCDLXXXIII. Hervag. et Naug. Sed vulgatum ordinem servat Cod. Barber. GARATON.

Autronii. Qui et ipse de ambitu damnatus consulatum amiserat. MANUT. — Qui sperabat huius legis beneficio rem de se iudicatam labefactari, aut certe poenam diminui. SYLV.

ferebantur. sermonibus hominum, crebro commemorabantur. Catil. I. 9. §. 26. *meditati illi sunt, qui feruntur, labores tui.* Nec alia vis est orat. III. 56. §. 214. *Quid fuit in Graccho, quod me puero tantopere ferretur?* sed e contextu patet adiunctam esse significationem laudis. Cf. Arch. 9. §. 21. MATTH. — Cf. adn. m. ad Quinctil. X. 1. §. 24. pag. 29, a. FR.

metum nobis seditionesque afferebant. Non bene vir doctus malit, *metum nobis seditionis afferebant*, contra libros veteres. Est ἓν διὰ δυοῖν, *metum seditionesque* pro *metum seditionis*; ut apud Iustinum lib. II. [2. 9.] *Lanae iis ac vestium usus ignotus.* hoc est, lanearum vestium. Grut. — Per ἓν διὰ δυοῖν, metum seditionum, intelligit Graevius. Ernest. — Scheller. Obss. pag. 99. *adferre metum* esse vult iniicere metum, *adferre sedit.* i. q. nuntiare. et sic Matth. „proprie est" inquit „metum nobis af„ferebant et seditiones praesignificabant." Schuetzius ait: „*afferebant* h. l. est i. q. nuntiabant. Itaque legendum vi„detur: *tumultum nobis seditionesque afferebant.*" Schuetziana improbans Wolffius sic vertit: *verkündeten uns Schrekken und Aufruhr.* Namque *metum* etiam de *causa metus* usurpari. Liv. Hist. XXX. 23. *quia nullus in propinquo sit hostium metus.* Fr.

tum honoris. Quia simul consules designati fuerant. Manut. — Id est, consulatus. Nam cum Autronio Sulla designatus est. Sylv.

tum etiam calamitatis. Quia simul de ambitu damnati. Manut.

secundas fortunas. Consulatum. Manut.

sine ullo remedio. Autronii enim odio Sulla premebatur. Manut.

allevamento. Id est, diminutione, et ut vulgo dicunt, alleviatione. Sylv.

CAP. XXIV.

§. 67. *Hic tu epistolam meam saepe recitas.* Cicero Catilinae coniuratione oppressa, ad Cn. Pompeium in Asia bellum Mithridaticum gerentem scripsit de utraque coniuratione Catilinae. L. Torquatus ex his litteris collegit, P. Sullam fuisse ex coniuratione, idque Ciceronem significasse arguit, quamvis Sullam in ea epistola Cicero non nominaverit. Id negat Cicero. Sylv. — Cf. Cicer. Schuetz. Tom. XVI. P. III. pag. 193. Fr.

de summa reipublicae. Ita cod. Barb. et omnes editi, quos habeo, praeter Lamb. emendantem, *republica*, quod placet etiam Lallemando, et quamvis eius MSi cum vulgata consentiant, tamen hic ab eo reponitur, ut cap. 38. pro Flacco, ubi vide. Ed. MCDLXXXIII. ut solet, per notas, *de summa R. P.* Ex opinione sua legat unusquisque licet. Gar.

et si furorem incredibilem. Liber Busbequii, *ubi si fur.* Pal. pr. *et quia si fur.* emendatumque in quinto, *quia furorem*, omissis *et si*, quod ferri forte possit. Grut. — Prior Ven. *et qui:* in ceteris editis et in cod. Barb. vulgata servatur. Garaton.

biennio ante conceptum. Amplius biennio concepta fuit haec coniuratio. Lepido enim et Volcatio Coss. [a. u. 688.] circiter Nonas Decembres coepit. [Cf. ad Catilin. I. §. 15. Matth.] L. Torquatus et L. Cotta post hos fuerunt consules, post hos L. Iulius et C. Figulus, post quos fuit Cicero cum C. Antonio. His Coss. in mense Octobri patefacta coniuratio est. Sylv. — Verius igitur pro Murena §. 81. Fr.

erupisse. Id est, natum esse; sed de mala re id verbum dicitur. Sylv.

demonstrasse. Id est, significasse. Sylv.

Cn. Pisonem. Qui Cotta et Torquato Coss. cum Catilina et Autronio coniuraverat. Cicero [in tog. cand. Vol. II. P. I. pag. 526. Orell.] Sallustius [cap. 18.] Pedianus [in comment. ad Cic. l. l.] Manut.

§. 68. *de quo etiam si quis dubitasset.* Ostendit L. Torquatum dixisse quae non conveniant. Nam si P. Sulla coniuravit L. Torquati patrem Cos. Kalendis Ianuariis interficere, ut consulatum iudicio amissum per vim recuperaret: non est verisimile eum, postquam damnatus est, operas et manum comparasse, ut Catilinae contra Torquatum suffragaretur. Sylv. — Post *potuisse* alii minus plene interpungunt. nam *de quo* refertur ad Sullam. Hic a Torquato arguebatur, cogitasse patre illius interfecto consulatum arripere, quae suspicio probabilis erat, quia Torquati pater effecerat, ut Sulla de ambitu damnaretur; sed quum

diceret, Sullam voluisse Torquatum patrem interficere, ut Catilinae consulatum pararet, quod prorsus improbabile fuit, suspicio illa tollebatur. Beck. — *De quo* refertur ad sententiam praecedentium, de coniuratione a Sulla cum Catilina inita, sed accuratius hoc idem declaratur sqq. *num cogitasset* Sulla, ubi nos diceremus: de quo si quis dubitasset (i. e. si quis dubitasset) num. Sic saepe *quod* ad praecedentia relatum explicatur subiecta re ipsa, quo refertur. Or. 62. §. 210. *Id nos fortasse non perfecimus, conati quidem saepissime sumus; quod* (nos conatos esse) *plurimis locis perorationes nostrae, voluisse nos atque animo contendisse, declarant.* Offic. III. 31. §. 112. *L. Manlio M. Pomponius trib. pl. diem dixit — — quod quum audivisset adolescens filius, negotium exhiberi patri, accurrisse Romam — — dicitur.* de Orat. II. 10. §. 39. *ita mihi vim oratoris visus es laudare copiosissime; quod quidem eloquentem vel optime facere oportet, ut eloquentiam laudet.* Cf. Verr. II, 1, 26. 67. 4, 42. 91. pro Mil. 6, 15. 19, 51. ad Quint. Fr. I, 1, 11. Wopk. Lect. Tull. pag. 285. et quae ibi monuit Hand. pag. 380. Misc. Phil. II, 1. pag. 109. 2. pag. 85. ad epp. Cic. 13, 62. Heind. ad Cic. de Nat. D. II, 8, 24. Beier ad offic. III, 31. pag. 396. Ita *sustulisti hanc suspicionem* est consequens s. apodosis *cogitasse descendere* cum lictoribus consulem factum. Matth.

interfecto patre tuo consule. In priore enim coniuratione L. Torquatum et L. Cottam, cum inirent consulatum Kalendis Ianuariis, interficere et consulatum per vim arripere Catilina et Autronius coniuraverant. Sylv.

descendere. In forum. Sic enim loquebantur, quia nobiliores in collibus habitabant. Tale illud Phil. XIV. [cap. 5. §. 14.] *Scitis enim, per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me per idus Quint. qui dies hodie est, cum fascibus descensurum.* et ad Attic. lib. IV. [ep. 3. §. 1.] *Cum sacra via descenderem.* Manut.

cum lictoribus. Ut consulem: quia designatus consul fuerat. Manut. — Id est, occupato et arrepto consulatu. Sylv.

ut Catilinam consulem efficeret. Comitiis habitis post Sullae damnationem. Sylv.

operas. Ut *servitia et ministeria in numero tantum plurali pro servis et ministris dici* Valla libro IV. scribit; ita apud Ciceronem saepe invenire licet *operas* dici pro operariis, quos conducere solebant, qui vim aliquam moliebantur. ut in Vatinium testem [cap. 17. §. 40.] *An erit haec optio et potestas tua, ut cum Clodianas operas et facinorosorum hominum manum videris, Milonem dicas gladiatoribus et bestiariis obsedisse rempublicam.* et pro domo sua [cap. 30. §. 79.] *Consulari homini P. Clodius eversa republica civitatem adimere potuit, concilio advocato, conductis operis non solum egentium, sed etiam servorum.* et pro P. Sestio [cap. 12. §. 27.] *Qui adesse nobilissimos adolescentes, honestissimos equites Romanos deprecatores salutis meae iusserit, eosque operarum suarum gladiis et lapidibus obiecerit.* Sylv.

neque enim istorum facinorum. Probat Cicero ex vita ante acta crimen, de quo quaestio est, coargui posse aut refutari. Sylv.

persona. mores. pro Cluent. 29. in. *Huius Staleni persona ab nulla turpi suspicione abhorrebat. suscipit crimen*, talis est, ut hoc crimen in eam coniici possit. Matth.

§. 69. *dissolutis.* Id est, refutatis. Sylv. — Vid. Matth. ad orat. pro S. Roscio §. 82. Fr.

de principio. Ut *improviso* et *de improviso*, ita *principio* et *de principio* in eadem significatione dicimus. Sed *de principio* hoc loco dici adnotandum censeo, magis ut Latine dici intelligas, quam ut imiteris. Sylv. — Tuto potes imitari. *De principio* est locutio integra; sed concisa, ubi *de* per ellipsin omittitur, *principio.* Graev. — Schuetzius dedit *a principio.* Nam „*de principio* h. l. minus bene sonat, quum statim alia praepositonis significatione praecesserit *de vita* et *de moribus.*“ Fr.

studuit animus. Id est, volui. Sylv.

occurrere magnitudini criminis. Id est, probare P.

Sullam ex coniuratione non fuisse, et quae ab adversario dicta sunt, refutare. SYLV. — tanquam adversario, quocum pugnandum sit, crimen diluere. Cf. pro Mur. §. 48. MATTH.

exspectationi hominum. Iis, qui meam pro Sulla orationem exspectabant. MANUT.

de me aliquid et de ipso, qui accusatus erat. Oportet Ciceronem hic valde madida fuisse memoria, qui ait, a principio sibi et de se et de Sulla dictum, cum vix versu interiecto antea dixerit, sese a consuetudine iudiciorum abiisse in hoc, ut crimina ante diluerit, quam de persona rei quidquam diceret, id quod iam demum sit facturus. Lege igitur ex fide libri Thuringici: *de me aliquid ipso, qui accusatus eram, dicere.* Sane Cicero superius se fidemque suam signatis verbis notat ibi [§. 40.] *Exclusus hac criminatione Torquatus, rursus in me irruit, me accusat: ait me aliter, ac dictum sit, in tabulas publicas retulisse.* I. ZINZERLINGIUS. — In depravata lectione mire se torsit Guilielmius, dum indulget coniecturis. GRUTER. — Minus omnium a vera lectione, quam codex tandem praestantissimus obtulit, distabat uterque Francii in V. L. Barb. et prior Ven. In his legitur, *de me aliquid, de ipso, qui accusatus erat.* Altera Veneta pro *erat* invexit *est*, quod Herv. Naug. Manut. Lamb. adoptarunt, addita copula, *et de ipso.* Pessime cod. Steph. *et de ipso, qui accusator est:* quem Stephanum iure infra Lambinus reprehendit, nihilo tamen meliorem vulgatam ipse retinens. GARATON. — Ex antecedd. intelligitur, Ciceronem, quem Torquatus simul cum Sulla accusaverat, multa ad se defendendum dixisse. Iam vero de solius Sullae vita et moribus dicturus erat. BECK.

revocandi estis eo. Ad mores vitamque P. Sullae. MANUT. — *revocandi*, animis estis. SYLV.

cogit animis. Vos cogit animis vereor ne cuiquam paullo durius esse videatur; nec vero magis placet ita distinctum, *cogit, animis;* ut *animis* non ad *cogit*, sed ad *revocandi estis* referatur; nimis enim longe disiunctum. MAN. — *cogit animos mentesque convertere.* Clausula isthaec est ab Erfurd. prius enim vulgati, *cogit animis*, ce-

teris exclusis. GRUT. — Ista quoque emendatio debetur diligentiae Zinzerlingii, qui eam primus ex Erfurtensi codice eruit. Vide etiam, ut hic se torqueat Manutius, dum mendosam scripturam studet explicare. GRAEV.

CAP. XXV.

voluerit, cogitarit, admiserit. Ordo bonus est. Primum enim volumus, deinde cogitamus qua ratione adsequi possimus, postremo admittimus. SYLV.

ex moribus eius. Vide oration. pro Cluentio cap. 25. GRAEV.

natura converti. Post haec verba in priore Veneta glossema recipitur inepti cuiusdam: *Nemo repente fit summus, nemo repente turpissimus*: haustum ex Iuvenale II. Sat. 83. non sine additamento. GARATON.

§. 70. *huic affines sceleri.* Affinem sceleri et sceleris dici posse, alio loco [ad cap. 5. extr.] docuimus. SYLV. — Vid. Matth. ad or. pro S. Rosc. §. 18. Catil. IV. §. 6. FR.

Cuius aures umquam respuerunt. Id est, quis non audivit et credidit? SYLV. — non probarunt, non verum putarunt, ut ait Matth. FR. — *cuius aures unquam hoc respuerunt conatum esse, hominem* etc. Sic est legendum, neque quidquam est mutandum; et falluntur, qui *contaminatum* legi volunt; sententia enim aperta est: cuius aures unquam respuerunt, hoc esse conatum Catilinam, id est, coniurasse? quippe hominem etc. Quod autem iidem existimant, atque adeo asseverant, supra non longe admodum legendum esse, *de me aliquid, et de ipso, qui accusator est*, non, ut habent omnes libri, *de — accusatus est*, hic ne audiendi quidem sunt: et miror, hoc eis venisse in mentem. LAMBIN. — *contaminatum* Henr. Stephanus male coniiciebat; erat id ipsum tamen in cod. Ursini, teste Manutio, et in priore Ven. Omittitur vox *usque* in cod. Barb. ut etiam a Pithoeano in V. L. GARAT. — *conatum esse.* Quid? non, ut arbitror, coniurare, sed remp. perdere: quod eorum, qui coniurant, consilium est. Unus Fulvii Ursini liber habet, *contaminatum esse*, ceteri omnes,

conatum esse; mihi *conatum esse* placet: ut e superiore vita nefarii conatus oriantur, nec eos respuant cuiusquam aures, qui Catilinam noverit; est autem conari de re, quam non assequimur; quod Catilinae contigit; inde illud in Oratore: *Nos conamur, ille perficit.* MANUT.

studio. Id est, peccandi cupiditate. ut C. Caesarem Cicero in libro de Officiis II. [cap. 24. §. 84.] vituperat, quod tanta in eo peccandi libido fuerit, ut hoc ipsum eum delectaret peccare, etiamsi causa non esset. SYLV.

in omni flagitio, stupro, caede versatum? De Catilina illud dixit Cicero in accusatione Catilinae et Autronii competitorum, ut ait Asconius [vid. Cic. Orell. Vol. II. P. I. pag. 523.] *Stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit, caede nefaria cruentavit, diripuit socios, leges, quaestiones, iudicia violavit. Adolescens Catilina*, ut ait Sallustius [cap. 15.] *multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae, aliaque huiusmodi contra ius fasque. Postremo captus amore Aureliae Orestillae, cuius praeter formam nihil umquam bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adultum aetate, pro certo creditur, necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse.* Hanc sacerdotem Vestae, cui Catilinam stuprum attulisse Sallustius dixit, Asconius [vid. Cic. Orell. Vol. II. P. I. pag. 525.] appellat Fabiam, eamque Terentiae Ciceronis uxoris sororem fuisse dicit, quae tamen absoluta est. Idem Asconius dicit, Catilinam ex adulterio filiam genuisse, quam postea uxorem duxit. Auctore Plutarcho in vita Ciceronis [cap. 10.] Catilina filiae virgini se commiscuit et fratrem necavit. Cuius rei iudicium metuens, egit cum Sulla, ut eum tanquam vivum proscriberet. Auctore Asconio in Commentariis in orationem Ciceronis in C. Antonium et L. Catilinam competitores [Cic. Orell. Vol. II. P. I. pag. 522.] *Catilina, cum esset in Sullanis partibus, multos crudeliter necavit, ut Q. Caecilium et L. Tantasium. Idem caput M. Marii Gratidiani abscissum, etiam tum plenum animae et spiritus, ad L. Sullam usque a Ianiculo ad aedem Apollinis suis ipse manibus detulit.* SYLV. — *versatum.* Thuringi-

cus vehementius, *grassatum*. GRUT. — Non est optimi codicis lectio contemnenda. Eamdem permutationem vidimus pro Amer. 52. Alia quidem huius loci ratio est, alia locutio; utraque tamen, ut opinor, egregia. GARATON.

ad civile latrocinium. Ad cives occidendos. MANUT.

cum indicibus. Quos in bona fortunasque civium in nocentium immitteret. Sic de Catilina in orat. pro Mur. [§. 49.] *Vallatum indicibus atque sicariis.* MANUT. — Hic iterum Lambinus inculcat suum illud *audacibus*, ut pro Mur. 24. ubi notas vide. GARAT. — Cf. Matth. ad or. pro Muren. §. 49. FR.

insaniam libidinum. Qui modum in cupiditatibus ignorat, recte de eo dicitur, *insania libidinum.* MANUT.

perversam atque impiam religionem. Non rectam, neque cum reipublicae salute consentientem. Significat, opinor, illud, quod orat. III. in Catil. [§. 9.] scripsit, quod et Sallustius [cap. 47.] memoriae tradidit: *Lentulum dicere solitum, ex libris Sibyllinis haruspicumque responsis se esse tertium illum Cornelium, ad quem regnum huius urbis atque imperium pervenire esset necesse: Cinnam ante se et Sullam fuisse.* MANUT. — Vid. Catilin. III. 4. ERNEST. — Cf. Plutarch. Cic. cap. 17. FR.

nefarie — stulte. Nefarie contra patriam, stulte de regno. MANUT.

cogitasse. in patriam. SYLV.

aut stulte. Hoc ad illud spectat, *insaniam libidinum.* MANUT. — *aut nefarie cogitasse, aut stulte sperasse miretur.* Ita venustissime Thuringicus. Nefarie cogitarat patriae eversionem, stulte sperarat regnum etc. Vulgata: *aut nefarie, aut stulte cogitasse miratur.* GRUT.

de eius in Hispaniam profectione. Arbitror eum in Hispaniam profectum ad bellum Sertorianum, ibique ab eo Q. Metellum Pium vulneratum. Hunc autem Cethegum Plutarchus in Luculli vita [cap. 5.] scribit obscoena vita, libidinum, flagitiorum, vitiorum, scelerum plenum fuisse. SYLV. — *in Hispaniam.* ad Sertorium: *de Metelli P. vulnere,* quod ei a Cethego inflictum est. ERNEST.

carcer aedificatus. Quia in carcere, quod Tullianum appellatur, Cethegus strangulatus est. Alia quoque carceris poena est. Cicero enim in quarta Invectiva [cap. 4. §. 7.] dicit, vincula, eaque sempiterna ad singularem poenam nefarii sceleris inventa esse. SYLV.

§. 71. *finitimum.* Quia, cum simul uterque de ambitu, postea vero de coniuratione etiam Autronius damnatus esset, quo de crimine reus erat Sulla, videbatur eius nomen Sullae periculo et crimini finitimum esse. MANUT.

huius periculo et crimini. Autronius enim in utraque coniuratione fuit, quo nomine in iudicium vocatus erat, tum cum haec causa acta est. Sed eum neque sodales neque collegae defenderunt, ut ante dixit Cicero [§. 13. cf. §. 10.] SYLV.

non sua haec vita. In codicibus aliis melius scriptum est, *non sua consuetudo ac vita:* nam postea subiungit, *eum mores ipsius ac vita convincerent.* SYLV. — Vulgata, *non sua consuetudo ac vita convincit:* male, certe contra editionem anni MCCCCLXXXIII. et Pall. octo: quos si liberet excutere, multa tollerem adhuc sphalmata; nunc istud moneo tantum: ne arbitrentur homines, Ciceroni nihil iam amplius addi, nihil auferri posse: imo nullo auctore hodiernam in diem utimur vitiosiore. GRUT. — Francii uterque et ed. prim. et Mediol. subscribunt Palatinis. Sed Dresd. *non sua consuetudine ac vita.* GRAEV. — Mendum Dresd. est etiam in pr. Ven. Sed Naug. *non sua ante acta vita convincit:* quod Camerario placebat. Cod. Barb. Gruterianam lectionem habet. GAR. — Lamb. *consuetudo ac vita ante acta,* quod recepi ut amplissimum, coll. Inv. II. cap. 11. SCHUETZ. — *consuetudo* h. l. parum apte dici videtur Wolffio. FR.

semper audax, petulans, libidinosus. Haec verba quia nimium abrupte sunt posita, nescio an e glossemate orta sint. BECK. — Aliquo modo defendi haec verba posse ait Wolff. modo suppleas *erat.* FR.

quem in stuprorum defensionibus. Cum obiecta stupra defenderet. MANUT. — Id est, cum in foro stupra aliena aut sua defenderet: eum enim oratorem fuisse significat. SYLV. — *detersionibus,* Pantagathus. F. URSIN. — Non

defensiones alienorum stuprorum in foro et iudiciis intelligo, sed suorum, in quibus esset deprehensus. [Recte.] Nam *pugni et calces* non locum habent in defensionibus forensibus. Ernest.

verbis improbissimis. Id est, maxime impudicis. Sylv. — Sic contra *probae* Sallustio, Ciceroni, Melae, Propertio, sunt castae mulieres, ut dudum adnotavit Achilles Statius ad Tibullum. Graev.

pugnis ac calcibus. Id est, omni contumeliae genere: de hoc proverbio Erasmus scripsit. Sylv.

exturbare homines. Id est, vi eiicere. ut Actione in Verrem 4. [Act. II. lib. II. cap. 19. §. 46.] *Num etiam patriis Heraclium bonis exturbare oportuit?* et pro A. Cluentio [cap. 5. §. 14.] *Lectum illum genialem, quem biennio ante filiae suae nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari et sterni, expulsa atque exturbata filia iubet.* et pro L. Murena [cap. 22. §. 45.] *exturbare e civitate* dixit pro eo quod dicunt facere civem multari exsilio: *Magnum est*, inquit, *te comparare ea, quibus possis hominem e civitate, praesertim non inopem neque infirmum, exturbare.* Sylv.

spoliare fana sociorum. Significat Autronium in Praetura spoliasse templa provinciae eius, cui praeerat, ac repetundarum accusatum. Sylv.

vi conatum et armis. Lambinus delet vocem *conatum*, pro qua in manuscripto est *conatu.* F. Ursin. — Est etiam in cod. Barb. et ed. MCDLXXXIII. *conatu.* Garaton. — *conatum* praeeunte Lambino delevi. Omnes enim hi infinitivi pendent a *solitum esse.* Schuetz. — Schuetzio adsentitur Wolfius; ego non item. Fr.

disturbare iudicia. Ne de ambitu condemnaretur. Sylv.

cedere. Id est, obtemperare. [facere ac ferre, quod resp. postulat.] Sylv.

non fortunae ipsi succumbere. Id est, de ambitu damnatum non quiescere, sed coniurare. Nam fortunae succumbit, qui victus quiescit, nec contra fortunam reluctatur. In libro de Officiis primo [cap. 20. §. 66.] succumbere fortunae

dixit pro eo quod est a fortuna vinci, et iacere, atque abiectum habere animum: *Cum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere, nullique neque homini, neque perturbationi animi, neque fortunae succumbere.* SYLV.

rebus. Id est, probationibus. SYLV.

teneretur. Id est, nota esset. ut pro Milone [cap. 28. §. 76. ubi Garatonius affert Verr. V. 38. extr.] *Fingi haec putatis? quae patent? quae nota omnibus? quae tenentur?* et pro L. Cornelio Balbo [extr.] *Sed vos, iudices, animis et memoria tenetote.* et pro A. Cluentio [cap. 7. §. 20.] *Cum manifesto venenum deprehendisset, quod vir matris Oppianicus ei paravisset, et res non coniectura, sed oculis ac manibus teneretur.* SYLV. — *Teneri* dicuntur, qui capti sunt, ut sese expedire non possint; hinc ii, qui ita convicti sunt sceleris, ut negare amplius nequeant. Verr. III. 65. *tenetur avaritia, cupiditas hominis, scelus, improbitas, audacia.* MATTH.

CAP. XXVI.

§. 72. *Agedum, conferte.* Haud aliter Pall. Lambinus enim *Agitedum*, praeter libros: sicque Propertius [I. 1. 21.] *En agedum, dominae mentem convertite nostrae* etc. quamquam velim mihi ignoscat lector, si deinceps rarius adnotem mutationes eius temerarias: ubi ab eo recedo, sciat fieri fide membranarum veterum: nam hisce immorari, nullum video operae pretium. GRUT. — Cf. pro Mil. cap. 21. §. 55. *Age, nunc iter — comparate.* ubi Garaton. haec adscripsit: „Brit. duo *Agite*, quod pro varietate legitur etiam „in mei cod. margine. Scilicet ante Vallam non defuerunt, „qui *age* putarent cum plurali non posse coniungi. Horum „iamdiu explosa sententia est. Consule Broukhus. et Burm. „Sec. ad Propert. I. 1. 21. Bulaeum et Burm. seniorem ad „Valer. Fl. III. 311. Drak. ad Liv. 38. 47.“ Cf. Hand. Tursellin. I. pag. 205. sq. FR.

cum illius vita vitam P. Sullae. Apud Vallam libro

secundo [Elegantt. cap. 16. pag. 55. ed. Basil.] ubi praecipit de particula *Agedum*, hoc in loco *cum illis* scriptum inveni: quae lectio magis placet, ut *cum illis*, Catilina, Lentulo, Cethego, Autronio, intelligatur. Nam si *cum illius* legatur, sententia sit, cum vita Autronii vitam P. Sullae conferte. Sylv. — Dresd. et ed. Mediolan. *cum illius vitam P. Sullae.* Sed uterque Francii et editio prima plane, uti in suis reperit Valla, scribunt: *cum illis vitam P. Sullae.* Graev. — *conferte nunc cum illis vitam P. Sullae.* Ita Graevius e suis MSis et sic quoque tres e nostris. Alii eum vulgatis: *conferte nunc cum illius vita vitam P. Sullae.* Lallem. — Secutus sum Graevium, pro *illius vita vitam S.* Illud habent MSS. Graev. Ed. W. Sic protulit et L. Valla. Ceterae primae *cum illius vitam. vita* addidit Victorius, quod absorberi potuit per sequens verbum *vitam*: et ita fieri debebat, cum *illius* genuinum putabatur. Ernest. — Cod. Barb. et ambae Venetae cum Dresd. et ed. Mediolan. habent, *cum illius vitam.* Sed recte *illis* pro *illorum vita*, ut pro Flacco 26. [§. 63.] *cuius ego civitatis disciplinam atque gravitatem non solum Graeciae, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam dicam.* et in Pison. 9. [§. 20.] *quem ego civem, meo iudicio, cum Deorum immortalium laude coniungo.* Et ita centies. [Multa collegit hac de re I. F. Gronovius ad Liv. Epit. XLVII. et IV. Observ. 8. Ex Addendis.] Garat. — Cf. quae adscripsi ad Gronov. Observatt. IV. pag. 402. ed. meae. Nihil quidquam hac comparandi elegantia frequentius. Fr.

non dicam audacius. Ordo est: Quaero ecquod factum aut commissum huius videretur cuiquam factum, non dicam audacius, sed quod cuiquam paullo minus consideratum videretur: ut *consideratum* sit participium et *factum* nomen. Sylv. — *factum* et *commissum* quum genitivum adiunctum habeant, substantivorum vim habent. Cf. pro Planc. 7. in. *populi factum.* Ut hic *factum et commissum audacius*, sic Verr. III. 91. 213. *eius unum improbissimum factum.* Sin *audacius* adverbium esse malis, constructio similis erit locis eis, quos ad Catil. III. §. 27. adscripsi. Matth.

quod cuiquam paullo minus consideratum videretur factum, quaero. Vel sic legendum, vel deleta voce *factum, quod cuiquam paullo minus consideratum videretur, quaero.* Nam vulgata scriptura, *quod cuiquam paullo minus consideratum videretur factum* etc. ferri non potest. Lamb. — *cuiquam paullo minus consideratum videretur? factum quaero;* uti hunc locum interpunxit Gruterus, sic sane interpunctus legitur in Francii primo. Graev. — Recte: nam Lambinus sine causa a vulgatis discedebat. Alteram tamen interrogationem addendam puto, ut sic legatur: *videretur? factum quaero?* atque ita in Manutiana MDLXXXIII. iam interpunctum vidi. Garaton.

excidit. Id est, imprudenter lapsum est. Sylv.

unde quisquam posset offendi. Verbis impudicis et contumeliosis boni homines offendi solent. Sylv.

quis P. Sulla mitior. Hoc dicit Cicero, ut causae suae subserviat. Aliter enim scribit in libro de Officiis secundo: *Nec,* inquit, *umquam bellorum civilium semen et causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam meminerint et sperabunt, quam P. Sulla cum vibrasset, Dictatore propinquo suo, idem sexto et tricesimo anno post a sceleratiore hasta non recessit.* Sylv. — Vide quae ad illum locum, qui est in II. cap. 8. [§. 29.] de Officiis, notavit Langius [et Heusinger.] Graev.

quis misericordior inventus est. Clausulam quoque hanc enotavit e Turingicis Guilielmius: hactenus nobis defuit: nam Ciceronis esse, nemo, spero, negabit. Gruter.

multorum hic vitam. A. Gellius cap. 16. libri sexti, scribens de significatione verbi *deprecor,* hoc in loco legit, *quam multorum:* quae lectio magis placet, ut continuetur interrogatio. Sylv. — Vocula *quam* videtur addita iam fuisse in ed. Mediol. ex V. L. Graevii, qui eam in suis MSis aliquibus et edit. MCDLXXII. non invenit, ut nec ego in cod. Barb. aut in ulla ex duabus meis Venetis. Sed Naug. omnesque postea, quos viderim, eam adsciverunt. Sunt, qui tota illa deleta περιχοπῇ, *quam multi* etc. quam ego tamen in meis omnibus libris adesse cognovi, et fide codici

optimo Turingico non habita, totum locum, quasi redundantem, ita contrahant: *Quis P. Sulla mitior? multorum hic vitam est a L. Sulla deprecatus: quos ego nominarem* etc. vel, *quam multorum* etc. Sed hi mihi videntur loci ornamenta detrahere. GARATON. — L. Sulla cum multos cives Romanos proscriberet et trucidaret, multis, pro his deprecante P. Sulla, ignovit. SYLV.

deprecatus. Ut in oratione pro Scauro [§. 46. Vol. II. P. II. pag. 369. Orell.] Asconio auctore, Cicero dixit: *L. ipse Metellus avus huius sanctissimos Deos illo constituisse in templo videtur, in vestro conspectu, iudices, ut salutem a vobis nepotis sui deprecaretur.* SYLV.

nostri. Id est, senatorii. SYLV.

quorum pro salute se hic Sulla obligavit. Quod scilicet ii, pro quibus se obligasset, inimicorum Sullae partes tutati non fuissent, aut quod in posterum Sullae nunquam adversarentur. Solebant enim veteres pro aliis se obligare: ut Cicero in Philippica quinta [cap. 18. §. 51.] fidem suam pro Octavio Caesare Senatui populoque Romano obligat, fore ut nihil ei republica carius sit. Huius obligationis poenitere se scripsit ad Brutum [I. cap. 18.] *Maximo*, inquit, *cum haec scribebam, afficiebar dolore, quod cum me pro adolescentulo ac paene puero respublica accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram, praestare posse. Est autem gravior et difficilior animi et sententiae, maximis praesertim in rebus, pro altero, quam pecuniae obligatio. Haec enim solvi potest et est rei familiaris iactura tolerabilis. Reipublicae quod spoponderis, quemadmodum solvas, nisi is dependi facile patitur, pro quo spoponderis?* Haec adscripsi, ut P. Sullae beneficium maius intelligas. SYLV. — *obligavit*, spondendo, eos tales futuros, quales L. Sulla vellet, nec quidquam contra eum molituros, necessitatem sibi imposuit tales eos praestandi. MATTH.

neque enim ipsi nolunt. Hoc adiunxit Cicero. Nam, ut idem dicit pro Sex. Roscio, homines notos sumere odiosum est, cum illud incertum sit, velintne hi sese nominari. SYLV.

huic. P. Sullae. SYLV.

maius est beneficium. Quod multis P. Sulla praestitit, quorum vitam a P. Sulla deprecatus est, aut quorum pro salute se obligavit. SYLV.

quam posse debet civis civi dare. Nimium enim apud tyrannum L. Sullam Publius valuit, nec illam cum civibus suis aequalitatem habuit, quae in civitate esse debet. SYLV.

quod potuit. Id est, quam potestatem habuit. SYLV.

tempori tribuatis. Id est, temporis conditioni, quo ita P. Sullae crudelitas in cives Romanos debaccharetur. SYLV. — In civitate libera non debet civis posse alteri tantum dare beneficium, ut pro eius vita deprecetur. Nam si hoc potest, auctoritate nimium valet. Hinc dicit, *tempori*, i. e. conditioni temporum, esse tribuendum, quod tantum valuerit P. Sulla. BECK.

quod fecit. Id est, quod civibus praestitit. SYLV.

ipsi. Id est, ipsius naturae et bonitati. SYLV.

§. 73. *constantiam.* Id est, honestatem, quam constanter retinuit. SYLV.

moderationem in privatis rebus. Nam, ut ait pro L. Murena [cap. 36. §. 76.] *odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam munificentiam diligit, non amat profusas epulas, sordes et inhumanitatem multo minus.* SYLV.

splendorem. Id est, magnificentiam, ut splendor sordibus contrarius sit. SYLV.

ita — ut tamen. Cf. ad §. 61. FR.

a fortuna. Quia Sulla de ambitu damnatus est. Iudiciis autem fortuna praeest. SYLV.

deformata sunt. Propter condemnationem de ambitu. MANUT. — Id est, turpificata sunt et formam suam perdiderunt. SYLV. — *Deformatus* nihil aliud est quam *formatus* (vid. Ruhnk. ad Rutil. L. pag. 90.) nisi quod *de* vim addit. Hinc et de rebus consummatis et arte perfectis usurpari potest, ut h. l. et de iis quae formam aliquam acceperunt, etsi inchoatam, ut apud Quintil. V. 11. §. 30. *marmora deformata prima manu.* ubi non voc. *deformatus*,

sed adiecta *prima manu* rem inchoatam significant. Matth. — Cf. Spalding. ad Quinctiliani l. c. Fr.

a natura inchoata. Principia illarum rerum a natura data adhuc remanent. Manut. — *inchoata appareant.* Id est, naturae vestigia quaedam remaneant. Sylv. — *compareant.* In omnibus est *compareant*, ut hic editur. Sed statim codex Barb. *quae domi*, *quae celebratio quotidiana?* Garaton. — *a natura inchoata compareant.* semina et initia earum virtutum a natura insita appareant. *ut — appareant*, e Graecorum more, *ὥστε δῆλα εἶναι ἐσκιαγραφημένα.* Vid. ad Manil. §. 34. Matth.

celebratio quotidiana. Celebratur quotidie Sullae domus civium honestissimorum conventu. Manut. — Id est, frequentatio erat, priusquam Sulla damnaretur. Sylv.

familiaris dignitas? Pro, familiarium dignitas. Infra [§. 77.] *Ex hoc hominum numero, ex hac familiari dignitate, in impiorum partem atque in parricidarum coetum ac numerum transferetis?* Manut. — *familiaris.* Id est, non fastuosa, non superba. Sylv. — Haec explicatio Sylvii non convenit reliquo loco, ut ait Beck. Fr. — Idem mox cap. 28. *ex hoc hominum numero, ex hac familiari dignitate.* Ambiguitas est quaedam in hac forma. Ex posteriori loco videtur apparere, esse dignitatem a familiaribus, quibuscum vivere consuevimus. Ernest. — Manutii explicationem sequitur Matth. qui confert *familiare funus* (i. e. funus familiaris cuiusdam) Rabir. Perd. 3. et *familiare parricidium* in versibus Accii ap. Cicer. de Nat. D. III. 26. §. 67. Fr.

studia amicorum. I. e. bona voluntas et obsequium in amicos; i. e. quam studiosus amicorum fuit. [Perperam.] Sylv.

Haec diu multumque et multo etc. Est illud *que* ex Erfurd. membranis: et ita Cicero tantum loquitur. Grut.

una hora. qua damnatus est. Sylv.

Accepit vulnus. Cum damnatus est. De hoc dicendi genere et de vulnere pro damno alibi scripsimus. Sylv.

mortiferum. Vulgo mortale appellarent. Sed mortale id est, quod aliquando moriturum est; mortiferum vero,

quod mortem affert; unde etiam mortifera peccata, non mortalia appellari licet. SYLV.

vita et natura etc. Nam accepto eo vulnere naturam retinuit. SYLV.

Honestatis et dignitatis habuisse nimis magnam iudicatus est cupiditatem. Nimis cupide ambiisse consulatum. GRAEV.

quam si nemo alius. Minuit Sullae ambitionem, quod alii quoque eam consulatus cupiditatem habuerint; sed quod damnatus sit, alii incolumes, ea eius adversa fortuna fuit. SYLV.

cupidior iudicatus est hic fuisse. Vereor, ut *iudicatus est* rectum sit. Credo fuisse *iudicetur*, et hic illud e superioribus, aberrantibus librarii oculis, huc translatum: quod non consentit argumentationi et sententiae. ERN. — Non video mutationis causam. Agitur de damnatione Sullae olim facta: si nemo alius praeter Sullam consulatum studuit emendis civium suffragiis consequi, iudicatus ille tum est cupidior consulatus, quam alii, ideoque damnandus. Nimirum alii eadem cupiditate fuerunt. BECK. — *iudicatus est*, scil. iudicum sententiis. SCHUETZ.

fortuna in hoc fuit fortasse gravior, quam in ceteris. Quia, cum in pari culpa alii fuerint, solus tamen Sulla damnatus est. MANUT.

§. 74. *urbis et fori.* Ne aspectum hominum lucemque vitaret. SYLV. — *invitamenta urbis et fori*, ab urbe et foro profecta: nam urbs et forum eum ad se invitabant. MATTH.

propter summa studia amicorum. Qui ipsi Sullae studiosi erant et veri amici. Nam, ut ait Ennius, *Amicus certus in re incerta cernitur.* SYLV.

quae — restiterunt. Id est, superfuerunt et remanserunt. SYLV. — quae ei, etsi in malis versanti, tamen restiterunt i. e. superfuerunt et remanserunt. Vid. ad Catilin. III. §. 10. MATTH.

cum lege retineretur. Lege Calpurnia, quae de ambitu damnatis exsilium non irrogabat: postea decem anno-

rum exsilium addidit Tullia lex, a Consule Cicerone lata. Manut. — Lex enim Calpurnia, quae paullo ante damnatum Sullam lata fuerat, pecunia, non exsilio damnatum reum multabat. Non multo post eum damnatum secuta est lex Tullia, quae de ambitu damnatos exsilio multaret, ut pro L. Murena scripsimus. Sylv. — Per legem manere in patria posset, quod ea non exilii poenam habebat. Ernest.

se exsilio paene multavit. Vel cum hominum conspectum evitavit, vel cum Neapolim profectus est. Sylv.

CAP. XXVII.

In hoc vos pudore iudicii. Cum illum puderet huius iudicii, quo damnatus erat. Sic potest exponi, sed puto tamen Tullium scripsisse: *In hoc vos pudore, iudices, et in hac vita.* Loquitur de eodem pudore, de quo paullo ante: *Quis umquam est suspicatus, hunc magis odio, quam pudore, hominum adspectum lucemque vitare?* et paullo post [§. 75.] *Non cadit, non, inquam, cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam.* dein [§. 77.] *Ubi erit igitur illud fortissimum praesidium pudoris; quo in loco nobis vita ante acta proderit?* Quoties autem iudices compellet Cicero, in primis in hac parte, ubi misericordiam studet commovere, quis non videt? Sed eodem plane modo, ut hic, inferius [§. 77.] *In hunc igitur gregem vos hunc P. Sullam, iudices, ex his* et quae sequuntur. Graev. — *In hoc vos pudore, iudices.* Sic habet ed. Iunt. quod et Graevio venit in mentem et facile cuilibet venerit. Nam vulgatum, *in h. vos pudore iudicii*, nihili est. Ernest. — Wolffio, licet vulgata lectio explicari facile queat, vel propter *vos* pronomen *iudices* legendum videtur. Fr.

tanto sceleri. Id est, coniurationi. Sylv.

conferte crimen cum vita, vitam ab initio ad hoc tempus explicatam cum crimine recognoscite. Expressi ad verbum Erfurdici codicis scripturam, cum quo haetenus consentiunt Pall. quod habeant *cum crimine rec.* Vulgati hic mutili. Grut. — Cum Palatinis codex Barb. et ambae Ven. aliae-

que veteres: *Conferte crimen cum vita usque ad hoc tempus explicata cum crimine recognoscite.* Vulgata a Naug. usque ad Grut. fuit in eo tantum ab hac mendosa veteri lectione diversa, quod alicuius efficiendi sensus causa dederat *tum crimen* pro *cum crimine.* Garat. — *explicatam.* A me. Sylv. — *vitam explicatam.* Non, ab ipso actam, sed ab eo, qui iudicari debet, totam perspectam [vel: ob oculos positam, ut tota perspici posset.] ductum a volumine, quod explicatur totum, ut perspici omnia, quae insunt, possint. Ernest. — *crimen.* Coniurationis. Quod aliis in codicibus scriptum sit, *cum crimine*, non *tum crimen*, id non placet. Sylv.

§. 75. *Mitto rem publicam.* Occupatio est. Amor autem reipublicae P. Sullam a coniuratione revocasset. Sylv.

tam cupidos sui. Id est, studiosos; ut pro Cn. Plancio [cap. 23. §. 55.] *Magnae sunt in te opes, late patet gratia, multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuae.* Est autem argumentum a repugnantibus. Sylv.

turpissima morte proposita. Cum summa infamia. Man. — Si deprehenderetur. Turpis autem mors dicitur ea, quam improbi homines dant legibus. Alioqui turpis mors ea est, quae luitur suspendio. Id *informe letum* Virgilius appellat, lib. XII. [603.] de Amata uxore Latini, quae ipsa se suspendit: *Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.* Auctore Servio [ad l. l. Aen.] *in libris Pontificalibus cautum fuerat, ut qui laqueo finivisset vitam, is insepultus abiiceretur.* Unde ait, *informis leti*, quasi mortis infamissimae. Illam esse causam arbitror, quod animam spiritum esse crederent, quem constrictis laqueo faucibus exhalari non posse, sed in pectore suffocari putabant. Hoc etiam mortis genere, id est, suspendio deprehensi coniurati in carcere strangulati sunt. Sylv. — In qua vita turpissima mors imminebat ac metuenda erat. Ern. — ob hoc ipsum miserrimam, quod turpissima mors s. ea, quam improbi homines dant legibus, ei, si deprehenderetur, metuenda erat. Matth.

Non, inquam, cadit. Hoc in loco *inquam* vim habet maiorem, quam *dico*. Significat enim, ut affirmo, et pro certo dico. Sylv. — *Non cadit, non, inquam, cadit.* Sic reposui, fidem Henrici Stephani secutus, qui se ita scriptum reperisse testatur. Lamb.

in hunc pudorem. Quo hominum adspectum lucemque vitavit. Sylv.

nova — immanitas. Id est, inaudita. Vid. Matth. ad or. pro Rosc. Am. §. 1. Fr.

ex multis ab adolescentia. Hoc adolescentibus praeceptum sit, ne multis se flagitiis contaminent, ne quando mente divinitus erepta in magnum aliquod scelus a furiis incitati incidant, ac poenas legibus persolvant. Sylv.

§. 76. *Nolite, iudices, arbitrari* etc. Amplificat coniurationis atrocitatem, ut faciat credibilius in ea Sullam non fuisse. Quemadmodum pro Sexto Roscio [§§. 37 — 39. et 62 — 73.] ut ne sit credibile ab eo Roscio patrem occisum, auget parricidii gravitatem. Sylv.

in qua non modo tot etc. Praeter ea praemia, quae indicibus proposita fuisse diximus, Senatus multitudini coniuratorum diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere. *Ea tempestate*, inquit Sallustius [cap. 36.] *mihi imperium populi Romani multo maxime miserabile visum est; cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent, domi otium atque divitiae, quae prima mortales putant, affluerent: fuere tamen cives, qui se remque publicam obstinatis animis perditum irent. Namque duobus Senatus decretis ex tanta multitudine neque praemio inductus coniurationem patefecerat, neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat. Tanta vis morbi atque uti tabes plerosque civium animos invaserat.* Quibus verbis magna coniuratorum multitudo, eorumque obstinatus in patriam animus significatur. Sylv. — *non modo tot* i. e. non dicam tot, sed unus. Matth.

ex portentis immanes. In prodigiis habentur animalia ea, quae ceteris sui generis similia non sunt. Ut T. Livius

libro XXVII. [cap. 11.] inter prodigia enumerat infantem quendam ambiguo inter marem et feminam sexu natum, itemque alium cum elephanti capite natum. Huiusmodi animalia ex portentis immania sunt. SYLV. — Igitur istos non vere homines, sed belluas ex portentorum genere esse dicit. BECK.

forma hominum indutae. Cicero dicere solet, perditos et profligatos homines esse belluas quasdam in figura hominum; cacodaemones forma hominis indutos vulgo appellant. SYLV.

nihil enim est. Cf. ad Quinctil. X. 1. 78. FR.

quantas audacias. In numero plurali dixit; ut Actione in Verrem V. [lib. III. cap. 89. §. 208.] *Vultis autem istorum audacias ac libidines aliqua ex parte resecare?* et libro Epistolarum ad Atticum nono [ep. 7.] *Noli putare tolerabiles horum insanias, nec unius modi fore.. Etsi quid te horum fugit? Legibus, iudicibus, iudiciis, Senatu sublato, libidines, audacias, sumtus, egestates tot egentissimorum hominum, nec privatas posse res, nec rempublicam sustinere.* SYLV.

desperatis reipublicae morbis. Id est, gravissimis; ut desperatam rempublicam idem dicit in Divinatione [cap. 21. §. 70.] *Hoc remedium est aegrotae et prope desperatae reipublicae.* Desperatum hominem pro improbo dici, alio loco docebimus. SYLV.

erupit, ut — posset. Sic edidi pro vulgato *possit.* ERNEST. — Secutus sum hanc emendationem, quia non nunc demum convalescere posse resp. dicitur, sed tum, cum Cic. loqueretur, iam sanata videretur. BECK.

ea confecta. quasi macerata ac mollita, ut cibus aliquis. MATTH.

pestibus. In numero plurali dixit, ut de Responsis Haruspicum [cap. 2. §. 4.] *Cum his furiis et facibus, cum his, inquam, exitiosis prodigiis, ac paene huius imperii pestibus, bellum mihi inexpiabile dico esse susceptum.* et pro P. Sextio [cap. 38. §. 83.] *Luce palam a nefariis pestibus in deorum hominumque conspectu esset occisus.* Hanc vocem apud Ciceronem saepe licet invenire. SYLV.

diutius hoc imperium stare potuisse. Liber manuscr. non habet vocem *imperium:* et pro *hoc* habet *haec*, ut fortasse ita sit legendum: *diutius haec stare potuisse; haec* autem δεικτικῶς templa Deorum, aedificia publica et privata, id est, urbem ipsam. Lamb. — Catilin. IV. §. 7. *qui haec delere conati sunt.* Cf. Reisk. ad Demosth. pag. 249, 5. Fr.

Furiae quaedam incitaverunt. Poenas improborum hominum divina voluntate pendi, saepe Cicero significat, ut pro Milone [§. 84.] *Vis*, inquit, *divina Clodio mentem iniecit, ut vi irritare ferroque lacessere fortissimum virum auderet, vinceretur que ab eo.* Sylv.

C A P. XXVIII.

§. 77. *In hunc gregem.* hominum, quos ad luendas reipublicae poenas furiae incitaverunt. Sylv.

fortissimum praesidium pudoris? Lambinus maluit eleganter, *firmissimum*, quod lubens admitterem, si quis iuberet codex. Quid enim usitatius aut melius, quam hoc praesidii ἐπίθετον? Adde facilem permutationem fuisse, quemadmodum II. de Inv. 10. [§. 32.] unus ab Oudend. consultus codex pro *firmitudinis* habet *fortitudinis.* Verumtamen vulgatam non damno. Licet enim pro re inanima praesidium istud accipiamus, aut certe ad inanimam rem translatum esse dicamus, tamen his quoque rebus *fortitudinem* tribui, notum est. Vide Davis. ad Caes. B. Civ. II. 2. Garaton. — Apud Caes. sunt *ligna fortissima.* „Similiter“ inquit Matth. „*fortem* orationem saepe dicit Cicero. *Praesidium* autem „*pudoris* non est quo pudor munitur, sed quod praebet pu„dor, ut πύργον ῥῦμα Soph. Ai. 159. pro πύργος, quatenus „ille munimento est. Vid. Gramm. Gr. pag. 1315. sq.“ Cf. Schuetz. ad I. de Divin. 33. Fr.

si in extremo discrimine ac dimicatione fortunae deseret. Sic rescripsi ex Francii primo, ut conveniat sequentibus *aderit*, *iuvabit.* Vulgo *deserit.* Graev. — *si* — — *deseruerit.* Sic recte edd. Iunt. Ald. P. Manutii etc. Lamb. et e MS. Fr. Graevius *deseret.* Edd. pr. *deseritur* vel *deseruit*, quae e compendio scribendi orta sunt, ut *deseret* e

conformatione cum sequentibus. Fortuna non adest, cum deseruit. ERNEST. — *si* — — *deseret.* In Gruteriana primum vidi *deserit*, quam secutus est postea Verburgius. Antea iam inde a Naug. vulgata lectio erat, *deseruerit*, nec ea damnanda. Venetae veteres, *deseritur*, mendose. Forte typorum errori quod in Grut. legitur est tribuendum: et ille voluit Lambinum sequi, suis adstipulantibus MSis. Quid enim mirabimur, Gruterianos codices id habere, quod in suo Graevius invenit? Lambino enim istud debetur *deseret*, quod etiam Oliveto placuit et Lallemando, quod aut felix illius coniectura fuit aut lectio codicum Memmianorum. Pro certo istud adfirmare non audeo, quod in cod. Barb. repererim Gruterianum illud *deserit:* sed certe in nova lectione codices allegari a Grut. debuerant. GARATON.

§. 78. *moderatur.* Graviora facit, aut leviora. MAN. — Ulpianus libro Digestorum XLVIII. de quaestionibus: *Quaestioni*, inquit, *fidem non semper nec tamen nunquam habendam constitutionibus declaratur. Etenim res est fragilis et periculosa, et quae veritatem fallat. Nam plerique patientia sive duritia tormentorum, ita tormenta contemnunt, ut exprimi ab iis veritas nullo modo possit. Alii tanta impatientia, ut in quovis potius mentiri, quam pati tormenta velint. Itaque fit, ut vario modo mentiantur et non tantum se, verum etiam alios criminentur.* Quinctil. lib. V. [cap. 4. §. 1.] de tormentis scribens: *Pars*, inquit, *altera quaestionem vera fatendi necessitatem vocat, altera saepe etiam causam falsa dicendi, quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas necessarium.* SYLV.

regit. Arbitratu suo gubernat. MANUT.

quaesitor. Quaesitor, is qui praeest quaestioni, ex quaerendi ratione multum valet, ut hoc vel illud extorqueat. SYLV. — Guilielmius hic capit *quaesitorem* pro tortore: cui accedere non possum; puto enim eum intelligi, qui tormentis praesidet; in quo quantum fuerit momenti, pluribus ostendi exemplis ad Tacitum lib. VI. Annal. cap. 47. sq. GRUT. — Sylvium sequitur Beck. FR.

libido. Quaesitoris. MANUT. — Id est, cupiditas eius, qui quaerit. Qui enim cruciatur, liberatum iri se putat, si respondeat, quod quaesitor cupiat. SYLV.

corrumpit spes. Corrumpit tormenta, id est, eos, qui torquentur: spe enim praemiorum dicunt ea, quae non sunt: iidemque metu tacent ea, quae sunt. MANUT. — *spes.* libertatis. SYLV.

metus. Supplicii; ut pro Milone [cap. 22. §. 60.] *Age vero, quae erat, aut qualis quaestio? Heus, ubi Ruscio? ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? Fecit, certa crux. Nullas fecit, sperata libertas.* Ruscio enim et Casca accusatoris servi erant, qui spe et metu inducti aliud atque aliud respondent. SYLV.

in tot rerum angustiis. Eleganter; cum tot malis animus eius, qui torquetur, in angustias redactus est et ad desperationem. ERNEST. — Cf. ad or. pro Sext. Roscio §. 22. Cum hoc loco cf. Quintil. Instit. V. 4. 1. et quae Gesn. et Spald. ibi annotarunt. MATTH.

torqueatur. Pro, examinetur. [accurate exploretur, quo idem, ac plus efficitur, quam tormentis. MATTH.] cum hoc verbo congruit id, quod sequitur: *ex ea quaeratur;* et illud infra: *si a vobis vitae perpetuae vox ea, quae gravissima debet esse, audietur;* nam *vox* ad tormenta respicit, in quibus emittitur; alioqui cur hic voci locus esset? Hoc ideo dixi, ne quem eorum coniectura moveat, qui legendum putabant: *Vita P. Sullae, Torquate, exquiratur.* Sed verbum *torqueatur* si mutetur, pulcherrima sententia depravabitur. MANUT. — Id est, ex vita Sullae ante acta veritas exprimatur, eaque vita sit loco testimonii. SYLV. — *Vita P. Sullae torqueatur; ex ea.* Commoda lectio; nisi obstarent Pall. nostri et cusi antiquitus, in quibus: *Vita P. Sullae, Torquate: ex ea;* quod auribus certe meis non parum blanditur. GRUTER. — Sic et quatuor MSi nostri et editiones veteres, prima Mediolan. Sed in Ascensiana 1522. reperi *torqueatur.* GRAEV. — Cum antiquis editis facit cod. Barb. GARATON. — *Vita — — torqueatur.* Elegantissima allegoria: sic non modo ed. Asc. sec. quam unam Graevius

pro hac lectione commemorat, sed Iunt. Ald. unde habet Asc. Manut. etc. Edd. pr. *Torquate*, quod miror Grutero placuisse. Ernest.

num quae occultetur libido. Ex praeceptis Grammaticorum dicendum esset: num qua occultetur libido, num qua audacia. Sylv.

Nihil erroris. Quia vita ante acta proferet, quod verum sit. Sylv.

vitae perpetuae. Id est, totius vitae ante actae. Sylv.

debet esse. Meliore numero cod. Barber. *esse debet.* Garaton.

§. 79. *si nihil vos P. Sullae fortuna movet, iudices.* Pro *fortuna* Pantagathus corrigebat *acta vita*, nimis a vulgata recedens scriptura. F. Ursin.

vestra moveat. Ad iudices quoque pertinere huius causae iudicium Cicero ostendit, si testibus credant iudices. Sylv.

cum summa elegantia. Honestate, quae est in recte factis, ubi nihil vitii est. nam haec proprie elegantia dicitur. Vid. Clav. Ernest. — innocentiam idem Ern. interpretatur in Clav. Sic *elegantius*, honestius, Divin. in Caec. 17. §. 57. *eleganter actam vitam*, Cat. M. cap. 5. §. 13. Gernhard. ad eum loc. esse dicit in servandis decori officiis, in qua nihil sit quod offendat, multa autem, quae optimo cuique comprobentur, et comparat epp. famil. III. 8. Omnino *elegantia* cernitur in eligendis iis, quae cuique tempori, loco, conditioni accommodata sunt. Matth.

disquisitionibus. Cum de aliquo crimine disquiritur. Manut.

armis suis spoliatam. Id est, armis suis spoliare, nudare et dedere. Arma autem vitae ante actae appellat integritatem, qua muniri quisque debeat adversus invidorum vel improborum hominum falsas accusationes. Sylv.

dedere suspicioni. Nolite propter quorumdam suspicionem vitam Sullae condemnare. Manut.

Munite communem arcem bonorum. Quam arcem? ut ante acta cuiusque vita fidem in iudicio faciat. Manut. —

communem arcem. Id est, vitam ante actam. Sylv. — Quo boni confugiunt, integritatis et vitae ante actae testimonium. Matth.

obstruite perfugia improborum. Quae sunt perfugia improborum? ut ante acta vita ne spectetur, sed falsis testibus bonorum salus oppugnetur. Manut. — Eadem fere Wolffii explicatio est: *verhindert, dass die Bösen nicht darin, dass der Lebenswandel nicht geprüft wird, eine Zuflucht für ihre Verbrechen finden.* Denn wird der Lebenswandel nicht beachtet, so können die Bösen sich leicht schützen. Fr. — Nam testibus probaturos se sperant crimina, quae finxerint. Sylv. — Sic est legendum, *obstruite perfugio*, id est, quasi murum struite adversus perfugium improborum, ne se vita ante acta defendere queant; contra munite arcem bonorum, ut ad vitam ante actam viri boni accusati et falsis criminibus in iudicium vocati, tanquam in arcem firmam ac munitam confugiant. *Obstruendi* verbum autem iungitur eleganter cum dativo, ut *obstruere luminibus:* quod ab hoc eodem non semel dictum est. Lamb. — Nullus tamen Lambino favet codex. Beck. — Improbi se non possunt vita ante acta defendere, alia perfugia alias latebras quaerunt, ut falsa testimonia; ea igitur vult obstrui ne ad ea confugere possint. Schuetz. — *perfugia improb.* ut perfugium avaritiae Manil. §. 39. sunt artificia, quibus utuntur improbi, ut innocentes falsis testimoniis in invidiam et suspicionem adducant. Matth.

valeat ad poenam et ad salutem plurimum. Subaudi, *vita:* de qua proxime dictum est. Manut. — Lambinus orationem certe planiorem reddidit, exhibens: *valeat haec ad poenam:* sed contra libros omnes, quos novimus. Melius tamen videretur, *valeat ea res plurimum.* Durior in vulgata, meo iudicio, figura est, sive subaudias *vita unius cuiusque* sive *ea res*, sive interpreteris quasi scriptum fuerit, *quam rem solam*, quod iterum ea notissima figura explicandum est, *quam rem solam videtis* etc. *ea valeat* etc. Garaton. — Beckio videtur ex antecedd. haud difficulter repeti posse *vita cuiusque.* [quae verba fortasse exciderunt.

MATTH.] Beckio adsentitur Schuetz. nisi forte post *plurimum* exciderit *vitae perpetuitas* aut aliquid eiusdem significationis. Caeterum cf. cap. 25. §. 69. FR.

C A P. XXIX.

§. 80. *Quid vero haec auctoritas.* Quam Torquatus diminuere conatus est, ut ante dixit Cicero. SYLV.

qui a ceteris coniurationis causis abstinuimus. Id est, qui ex coniuratis omnibus alium nullum defendimus. SYLV.

Grave. Id est, efficax. SYLV.

Grave est hoc dictum fortasse, iudices, grave, si appetimus etc. Sex voces priores hodie demum adspiciunt lucem, productae e tenebris codicis Turingici, non sine plenissima gravissimi affectus iteratione. GRUT. — Fons erroris fuit vox *grave* bis repetita, quae tertio mox legitur. Cum autem eius repetitio in Gruteriana exciderit negligentia operarum, nemo postea optimo MSo penitus paruit. Erat tamen ob oculos haec adnotatio Gruteri, in qua, sex voces priores ex eo codice se restituisse testatur, nimirum has: *Grave est hoc dictum fortasse, iudices.* Tum sequi vulgata debet, quae dabat, *grave, si appetimus.* GARATON. — *grave est* — *grave.* Vid. ad §. 46. FR.

si appetimus aliquid. Id est, aliquid laudis ex nostra auctoritate. SYLV.

cum ceteri de nobis silent. Nihil de laudibus nostris dicunt, nos non laudant; sic et *tacemus* capiendum. *grave est*, offendit: patet e sequentibus. ERNEST.

profecto conceditis. Videtur legendum, *concedetis.* F. URSIN. — Recte vidit Ursinus, probante primo Francii, in quo legitur, *concedetis*, quod iure recepi. GRAEV. — Hanc emendationem Lambinus occupaverat, adiuvantibus suis fortasse codicibus, eumque Graevius tantum et Lallemandus secuti sunt. GARATON. — MS. Fr. *concedetis*, quod recepit Graevius; non erat necesse. *libertatem* int. dicendi, quae prosunt ad defensionem necessariam. ERNEST. — Concinnitas orationis tuetur praesens. BECK.

§. 81. *libertatem.* De nobis dicendi. Sylv.

Accusati sunt uno nomine consulares. L. Catilina bis causam dixit. Nam Cicero in L. Pisonem [cap. 39. §. 95.] dicit, Catilinam bis absolutum, sed iniuste. Primum accusatus est a P. Clodio repetundarum, ut paullo post dicemus: deinde a L. Lucullo perito eruditoque inter sicarios reus factus est, ut ait Asconius in Commentariis in orationem Ciceronis in Catilinam et Antonium competitores. [Cf. Cic. Orell. Vol. II. P. II. pag. 525.] Quod autem inter sicarios factus sit reus, arbitror intelligendum, quod fuerit in priore coniuratione. Hunc enim aliosque coniuratos in iudicium vocatos et consulares viros Catilinae adfuisse, ceteris defuisse, ab iisque Catilinam laudatum significat Cicero. Id obiecit Torquatus, quo maiorem invidiam Ciceroni faceret, qui ipse quoque consularis P. Sullam defendat. Sylv.

honoris amplissimi. Id est, consulatus. Sylv.

Adfuerunt. In iudicio de repetundis. Ernest. — tanquam advocati, de quibus id verbum proprium est. Fr.

illumque laudarunt. Cotta et Torquato Coss. cum de repetundis, accusante P. Clodio, causam diceret. Sequitur: *Nulla tum patebat, nulla erat cognita coniuratio;* quae scilicet postea patuit et cognita est: eius auctores et principes Cn. Piso, Catilina, Vargunteius, Autronius, supra [ad §. 11.] nominati. Manut.

defendebant. Viri consulares. Sylv.

amicum. Catilinam. Sylv.

vitae eius turpitudinem. Quae flagitiis, stupris, caede contaminata erat. Sylv.

insequebantur. Non reprehendebant, non oderant. Sylv.

Quin etiam parens tuus. Si iure consulares reprehenduntur, qui Catilinae in causa coniurationis adfuerunt, L. Torquati patrem iure posse reprehendi ostendit, qui ipse Catilinae repetundarum reo cum adesset, dixit se aliquid audisse, sed non credidisse. Quod si reprehendi non debet, quamvis audiverit: multo minus consulares reprehendendi sunt, si nihil audiverunt. L. Catilina Praetor Africam provinciam obtinuit. Eam cum graviter vexasset, legati Afri

in Senatu, iam tum absente illo, questi sunt. Multae gravesque sententiae in Senatu de eo dictae sunt. Isque L. Torquato et L. Cotta Coss. a P. Clodio repetundarum accusatus est. Eum a Cicerone defensum Fenestella tradit, cuius sententia Asconio non placet. [Vid. Cic. Orell. Vol. II. P. I. pag. 522.] Hoc quoque in loco a Torquato Cos. defensum eum fuisse, Cicero scripsit. SYLV.

res de pecuniis repetundis. Ut libro epistolarum Ciceronis ad Quintum fratrem tertio [ep. 3. §. 2.] *Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, subscribente privigno Memmio, fratre Caecilio, Sulla filio.* et ad Atticum libro II. [ep. 24. §. 2.] *Nunc reus erat apud Crassum divitem Vectius de vi.* SYLV.

delatum ad eum. pro *ad se.* vid. ad or. pro S. Rosc. §. 95. MATTH.

primam illam coniurationem. Primum de duobus dici, attendendum est. SYLV.

alio in iudicio. Cum accusatus est Catilina inter sicarios, Caesare et Figulo Coss. post effecta comitia consularia, cum repulsam passus esset. Hac tota de re vide, quae diximus in argumento quattuor orationum in Catilinam. MANUT. — Id est, in causa coniurationis. SYLV. — Fallitur: vide Manut. et quae de Catilinae iudiciis nos disseruimus ad cap. 53. pro Cluent. et ad I. in Catil. 7. et simul ad ea, quae mox adnotat Lambinus, responsionem habebis. GARAT. — Cum inter sicarios reus esset. ERNEST.

ceteri. Consulares, qui adfuerant ei in causa de repetundis. Id autem proponit Cicero tamquam dictum a Torquato, ut Cicero ipse consulares purget. SYLV.

Si postea cognorat. Sententia est: Si L. Torquatus postquam abivit consulatu, aliquid cognovit de priore coniuratione et ideo Catilinae adesse noluit, ignoscendum est consularibus, qui ei adfuerunt, quia nihil de ea coniuratione audiverunt. SYLV.

nihil audierunt. Ut nihil Torquatus audierat, aut certi nihil cognoverat, cum ei consul adfuit, de coniuratione prima. MANUT.

illa res prima. Prima coniuratio. MANUT.

valuit. Effecit, ne cum ceteris adesset. MANUT. — *Sin illa res prima valuit.* In codicibus aliis scriptum est: *Sin illa res de pecuniis repetundis prima valuit.* Ea autem sententia est: Si illa prima causa Catilinae de pecuniis repetundis quamvis non recens, sed tamen nec inveterata valuit, ut ei Torquatus adesset, causa de coniuratione magis valere debuit, ut eam viri consulares susciperent, quia recens erat, ideo ipsis minus cognita. SYLV. — *Sin illa res de pecuniis repetundis prima.* Hoc totum *de pecuniis repetundis* abest a codicibus manuscr. et vero abesse debet; satis enim subintelligitur crimen repetundarum: quo crimine accusatus est Catilina, Cotta et Torquato Coss. Per aliud autem iudicium, in quo dicit Cicero Torquatum Catilinae adfuisse, significatur iudicium de incestu: de quo accusatus est Hortensio et Metello Coss. quod Fabiam, virginem Vestalem, stuprasset. Sed, cum Catilina adversus rempublicam bis coniuraverit, et hic primae illius coniurationis mentio fiat, quae facta est Cotta et Torquato Coss. quos interficere coniurati parabant: quaero, utrum illius coniurationis nomine in iudicium adductus sit Catilina, necne; si adductus non est in iudicium, cur dicitur infra Torquatus pater Catilinae advocatus fuisse in illa suspicione periculi sui? nam per suspicionem illam periculi prima coniuratio significatur: sin adductus est, cur dicitur supra idem Torquatus consul Catilinae, reo de pecuniis repetundis, adfuisse? Praeterea quid iudicium repetundarum ad crimen coniurationis, qua de re hic agitur, pertinet? Postulabat enim ratio, ut Cicero diceret, Torquatum Catilinae adfuisse de coniuratione, sive de vi publica, ob primam illam coniurationem accusato, non de repetundis. Adiuvat hanc rationem id, quod paullo ante dicitur, *cui cum adfuit post delatam ad eum primam illam coniurationem* etc. significant enim perspicue haec verba, Torquatum Catilinae causam dicenti de coniuratione et de vi publica, ob coniurationem illam, adfuisse. Postremo confirmat eamdem rationem id, quod initio dixi, in codicibus manuscr. non reperiri haec verba, *de pecuniis repetundis*, post,

sin illa res. Ex quo effici volo, non temere aliquem suspicari posse, illa quoque verba supra posita, *de pecuniis repetundis*, post illa, *Torquate, consul reo*, non esse Ciceronis. Consideret igitur hunc locum diligenter lector ingeniosus et eruditus. Nam mihi quidem non videtur satis esse sincerus. Lamb. — Plerisque MSis nostris absunt *de pecuniis repetundis*; reperi tamen in Pal. pr. et editionum principe. Grut. — *Sin illa res. De pecuniis repetundis* habetur quidem in Francii primo et editione prima, sed in ceteris omnibus longe melioribus libris non legitur, meritoque tanquam subdititia, quae ex margine, cui magister adscripserat, quae prima illa res esset, irrepserint in contextum, reiecerunt viri docti. Sed vide Manutium, qui rectius haec explicat, quam Sylvius. Graevius. — Glossema istud iam pridem in ed. MCDLXXXIII. deletum optime fuit. Relatum ex prima ed. Ven. MCDLXXX. ab Hervag. et Naug. fuit, retentumque in prioribus Manutianis et in Lambinianis, quas Gruter. et Verb. pessime sunt secuti. Debuerat enim de Lambini et Manutii sententia ab optimis MSis firmata deleri, quod tandem praestitit Graevius, Oliveto postea et Lallem. parentibus; neque vero illas ineptissimas voces habet cod. Barber. Garaton. — Delevi cum Graevio *de pec. rep.* quod non est in MSS. plerisque et edd. R. Br. Med. Iunt. Ald. Est a glossatore. nam *de rep. p.* e superioribus intelligi potest, si tamen de ea causa hic sermo est, nec patitur addi *prima*. Sed illa *res prima* non ad illam causam de repetundis referenda videtur. P. Manutius de coniuratione prima intelligit. Sed ego locum hunc non intelligo. Ernest. — Sensus sequentium, quae se non intelligere Ern. fatetur, est: multo plus recens coniuratio valere debuit apud Torquatum, quam illa vetus. Caeterum vel voc. *prima* docet, non esse verba *de pec. rep.* a Cic. profecta. Beck. — Wolffio *prima res* neque ad causam illam de repetundis referenda videtur neque ad primam coniurationem, sed ad primum quem Torquatus acceperit de coniuratione nuntium; ita ut verba *postea cognorat aliquid* et *prima res* sint opposita: *wenn die erste, die frühere, schon im Consulate empfangene, Nach-*

richt ihn bestimmte, nemlich den Catilina vor dem andern Gerichte nicht zu unterstützen. Idem Wolff. de sequentibus verbis, quae se parum intelligere profitetur Ernest. et quae ne Beckius quidem satis recte explicaverit, in hunc modum disputat: „Es ist hier noch immer von der ersten Verschwörung die Rede, wie der Zusammenhang unwidersprechlich lehrt. Die zweite Verschwörung wurde erst gegen das Iahr 690 bekannt, als die consularischen Comitien sich näherten; denn sonst hätte sich ja Catilina nicht um das Consulat des Iahres 691 bewerben können. Cicero rechtfertigt die Consularen, welche den Catilina auch bei der Anklage über Meuchelmord unterstützten, und der Gedanke ist: Wenn Torquatus späterhin genauere Nachrichten über die Verschwörung hörte, als er in der Zeit wusste, da er den Catilina bei seiner Anklage wegen Erpressungen vertheidigte, und deshalb bei der zweiten Anklage nicht unterstützte: so muss man den Consularen, die weiter nichts über die Sache vernommen hatten, verzeihen, dass sie den Catilina auch bei der zweiten Anklage unterstützten. Wenn aber Torquatus nichts anderes gehört, als was er schon vorher gewusst: so handelte er nicht consequent, wenn er dem Catilina seinen Beistand entzog; denn diese Verschwörung (die erste nemlich) durfte jetzt, da sie schon beinahe vergessen war, keinen stärkern Eindruck auf ihn machen, als da sie eben geschehen sein sollte." Fr.

illa res prima. quod Torquatus cos. Catilinae reo adfuit. *valuit.* eam vim habuit, ut consulares reprehenderentur, quod Catilinae adfuerunt. Matth.

periculi sui. Nam consules interficere coniuraverant, ut ante dictum est. Sylv. — *in illa suspicione* — *tamen.* Vid. ad §. 1. *miseris et afflictis tamen* etc. Fr.

sella curuli. Nam Torquatus insignibus consulatus ornatus Catilinam defendit. Sylv.

§. 82. *iidem.* consulares. *iis.* reliquis coniuratis. Sylv. *ante hunc.* Ante Sullam. Manut.

causam de coniuratione dixerunt. Ut ante: *Consul reo de pecuniis repetundis Catilinae fuit advocatus.* Sylv.

Tanto scelere. Id est, coniuratione. Sylv.

de eorum. Consulatium, qui Catilinam defenderunt. Sylv.

de unoquoque. Eorum. Sylv.

quisquam. Oratoris. Sylv.

his temporibus. Id est, in posteriore coniuratione. Sylv.

sensit. Dicendo sententiam in senatu. Sylv.

qui Praetores fuerunt. Ut L. Valerius Flaccus et C. Pontinius Praetores consilio Ciceronis in ponte Milvio per insidias Allobrogum comitatus deprehenderunt. Sylv.

post hominum memoriam. Id significat, quod vulgo dicerent a creatione mundi: post homines natos, aut post hominum genus natum, saepe dicit Cicero; de quo dicendi genere alio in loco scripsimus. Sed nec minus saepe dicit, post hominum memoriam: ut pro C. Rabirio perduellionis reo [cap. 2. §. 4.] *Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam, neque a trib. pleb. susceptam, neque a Consule defensam, neque ad populum Romanum esse delatam.* Cum superlativo Cicero adiunxit in secunda Invectiva [in Cat. cap. 13. §. 28.] *Atque haec omnia sic agentur, Quirites, ut res maximae minimo motu, pericula summa nullo tumultu, bellum intestinum ac domesticum post hominum memoriam crudelissimum et maximum me uno togato duce et imperatore sedetur.* in tertia [cap. 10. §. 25.] *In hoc autem uno post hominum memoriam maximo crudelissimoque bello, quale bellum [nulla] umquam barbaria cum sua gente gessit.* Sylv.

descripti. Designati; unde illud ad Q. frat. lib. II. [ep. 3. §. 3.] *Respondit ei vehementer Pompeius, Crassumque descripsit.* Manut. — Id est, oratione Torquati designati, denotati [non quidem nominati, sed significati tamen,] reprehensi: ut pro Milone [cap. 18. §. 47.] *Scitis, iudices, fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu caedem esse factam, consilio vero maioris alicuius: videlicet, me latronem ac sicarium abiecti homines et perditi describebant.* Sylv. — Simile est Horatianum illud Satir. I. 4. 3. *Si quis erat dignus describi.* Matth.

quod satis esset ad testandam memoriam omnium. Quantum satis esse et probari posset omnium memoriae testimonio. MANUT. — Hunc locum partim coniectura ductus, partim ope veterum codicum nixus, sane feliciter emendavi. Nam cum in eis reperissem, *attestantem memoriam omnium*, ubi vulgati habent, *attestante memoria omnium*, ego *ad testandam memoriam omnium* reposui: quae lectio recta est, idque tum aliis viris doctissimis iudicantibus, tum Adr. Turnebo vehementer adprobante. Quare, qui eum vulgatae non anteponet, is facile declarabit, se vel hebetem esse, vel malevolum, vel utrumque. LAMB. — *Attestantem memoriam omnium.* Vere: neque aliter Pall. aut S. Victor. B. Satis, inquit, erit me dicere de consularibus, cum tamen attestetur interim memoriam omnium, de voluntate ceterorum: malit tamen Guilielmius *antestantem:* prius impressi, *attestante memoria.* GRUT. — Sic quidem etiam Dread. et Pith. Sed unde pendent isti casus, *attestantem memoriam?* Si Cicero de se loquitur et implorat omnium memoriam, dicendum fuisset, *attestanti memoriam omnium*, ut conveniat cum ceteris, *de his tantum mihi dicendum putavi*, *attestanti memoriam omnium.* Itaque cum non ferat constructio scripturam, quam secutus est Gruterus, sequor ego Francii secundi, editionis primae et multarum aliarum editionum lectionem, *attestante memoria omnium*, quae liquida est. GRAEV. — Codex quidem Barb. *attenstantem*, et secunda Ven. *attestantem memoriam:* sed prior Ven. cum Nauger. Man. etc. *attestante memoriam.* GARATON. — *attestante m. omnium.* Variant scr. et edd. inter hanc lectionem et alteram *attestantem memoriam o.* quam Gruterus secutus est. Ego cum Graevio alteram praetuli, quia praecedit *mihi*, non *me.* Lambinus e coniectura edidit, *ad testandam memoriam o.* eamque probabant Turnebus et alii, ut Lambinus ait, qui huic correctioni valde confidit. Nec est ea absurda. Sed mihi ea, quam recepi, facilior videtur lectio. Reddit rationem, quare satis dixerit: nempe quia omnium memoria testatur, vera esse, quae dixit. ERNEST. — Ernestium sequitur Wolff. qui perspicere se negat, cur Lambinus tantum tribuerit emen-

dationi suae, quum vulgaris lectio tam perspicua sit atque pulchra. At Lambini lectionem firmat Cod. Erfurt. qui dat, *ad testandam omnium memoriam.* Fr.

ex illo honoris gradu. Id est, ex consularibus. Sylv.

C A P. XXX.

§. 83. *qui Catilinam non laudavi.* Ut illi consulares. Sylv.

qui reo Catilinae consul non adfui. Ut Torquati pater. Sylv.

rerum a me gestarum. Hoc dicendi genere T. Livius utitur saepius, quam Cicero. *Meas res gestas* solet Cicero dicere. Sylv.

nunc eorum ducem conservare. P. Sullam, qui eorum dux fuisset, si in coniuratione fuisset. Sylv. — Rescripsi ex quatuor libris, quos aut vidi, aut quorum excerpta habeo, nec non ex editione prima *servare*, cum in vulgatis sit *conservare*. Graev. — Ita cum Graevio tres e MSis nostris pro vulgato *conservare*. Lallem. — Ita etiam cod. Barb. et prior Veneta. In editione MCDLXXXIII. initium vulgatae video, quae permultis exemplis confirmari profecto potest. Neque enim magnopere interesse arbitror, an unus pluresve *conservare* dicantur. Pro Graevio faciunt loci V. ad Divers. 3. et 4. pro Arch. 1. post red. ad Quir. 2. aliique complures: ut iam quivis intelligat, quod sibi magis arrideat, praeferre se posse. Hoc ipso capite Cicero, *resp. meis laboribus et periculis conservata*, ut III. in Catil. 6. aliisque locis, quos ibi citavi; sed paullo post, *aut ita grati, quos servari;* et pro Domo 37. *bis servavi*, nempe *remp. patriam, cives;* cum tamen ibidem praecesserit, *haec omnia subire conservandorum civium causa.* Quid est autem, quod extrema verba illius epistolae 4. in plerisque codicibus, uno accedente Barberino, ita leguntur? *Ne, cum velis revocare tempus omnium reservandorum, cum qui servetur non erit, non possis.* Cortius ita defendit ibi vocem *reservandorum*, ut possit tamen scrupulus residere, ne forte sit Tullio insolens et ambigua. Summus Ernestus in Ind. hunc locum

alteri valde, ut opinor, alieno, et quo frustra defenderetur, adiungit, pro Cluent. 70. [§. 199.] de Sassia: *Eo iam denique adducta est, ut sibi praeter formam nihil ad similitudinem hominis reservarit.* Erat magis appositus, sed ne is quidem, ut arbitror, satis, locus ille pro Flac. 42. *nomen clarissimum* etc. *reip. reservate.* Quid igitur? Melius mihi videri fateor, quod Manut. iam pridem in uno ex suis MSis invenit, egoque in secundo Barberino conspexi, quod a Lambino denique, suis forte codicibus adstipulantibus, receptum fuit, *omnium conservandorum.* Ita locus ille his erit similis, quos adduxi, et aliis eiusmodi. Multis in codicibus adfines admodum esse vidi litteras *r* et *c*; ut ex usitato compendio syllabae *con* altera illa *re* nasci potuerit. Eamdem denique loco illo varietatem esse, quam hic adnotatam videmus, Caroli Stephani editio testatur exhibens, *omnium servandorum.* Garaton.

in animum inducam. Animum inducere etiam dicimus, ut alibi docuimus. Sylv.

medius fidius. Cf. Kritz. ad Sall. Cat. cap. 25. Fr.

quicum de vita fortunisque contenderis. Id est, qui te occidere conatus sit. Id significat serpens ille Aesopicus [Fab. 141. ed. Schaefer. §. 6. Ὁ μῦθος δηλοῖ, ὅτι οὐδεὶς μίσους ἢ ἀμύνης ἐπιλανθάνεται, ἐφ᾽ ὅσον βλέπει μνημόσυνον, δι᾽ οὗ ἐλυπήθη.] qui nullo munere potuit reconciliari agricolae ei, qui eum occidere conatus caudam ei tantum absciderat. Sylv.

in hoc scelere. Coniurationis. Sylv.

in hoc scelere convictus. Rarum dicendi genus. Saepius enim dicitur convictus sceleris, vel scelere, vel de scelere. Sylv. — Ideo praepositionem delebat Lambinus, quam omnes alii editi habent notique omnium codices, et noster Barberinus. Cl. Ernestus in Ind. ita etiam Tacitum loqui monet et in notis ad ipsum Taciti locum XV. Ann. 44. [*in crimine incendii convicti.*] duos addit Suetonii locos. Sed ipse Tullius non hic modo, verum etiam II. de Inv. 10. praepositionem adhibuit, ubi ait: *ostendere, si quo in pari ante peccato convictus sit.* Ita edidit etiam Lambinus: quo

magis est mirum, quod ibi pertulit, eum hic ferre non potuisse. Garat. — Plin. H. N. XVIII. 3. *convictus in homicidio.* Fr.

casu magis et felicitate a me, quam virtute et consilio gesta esse videantur. Eadem sententia in ep. ad Metellum lib. V. [ep. 2. §. 8.] *Huius ego temeritati si virtute atque animo non restitissem, quis esset, qui me in consulatu meo non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse?* Manut. — Quae fortuna aut felicitate fiunt, ea minore gloria digna sunt, quam quae virtute et consilio. Itaque Timotheus Atheniensis Cononis filius ferebat graviter ab obtrectatoribus dici, eo in castris dormiente fortunam circum urbes tendere retia, in quae urbes ipsae ultro incurrerent. Erat enim felix admodum in capiendis urbibus. Sed ea felicitate tandem destitutus, ex urbe eiectus est. Fortuna enim, unde haec felicitas est, mutabilis est. Virtus vero immortalis est, quam a natura esse philosophi dixerunt. Si igitur P. Sulla ex coniuratione fuisset, cum eum Cicero defendat, qui ipse coniurationem oppressit, eam oppressisse magis casu et felicitate videretur, quam virtute et consilio, propterea quod non servaret constantiam. Sylv.

§. 84. *hoc tibi sumis.* Id est, arrogas, et, ut vulgo dicunt, hoc de te praesumis. Sumere et assumere hac in re saepe dicuntur: ut pro Plancio [cap. 1. §. 3.] *Mihi non sumo tantum, iudices, neque arrogo, ut Cn. Plancium suis erga me meritis impunitatem consecuturum putem.* Sylv.

dicet fortasse quispiam. Vulgo *d. f. quisquam.* Male. Vid. Matth. ad or. pro S. Rosc. §. 33. Fr.

§. 85. *Grave esse videretur, eum.* Ironia, quasi dicat: Grave nequaquam videri deberet. Sed, si grave est, hoc omittam, quod in his causis pudori meo tribuam, non auctoritati; pudor enim est ita dicere: non defenderem Sullam, si coniurasse arbitrarer; auctoritas esset: non defenderem, si coniurasset. Manut. — Imo sententia est: cum auctoritate multa dictum videretur. Beck. — Schuetzius explicat: molestum aliis hoc videri posset, quod nimium mihi

arrogare viderer, si hoc dicerem. Wolfius unice veram Beckii sententiam iudicat; idque quum ex omnibus, quae Cic. ad auctoritatem suam apud iudices firmandam adiiciat, apparere, tum ex his: *quod non auctoritati assumam, sed pudori meo.* FR. — *Grave.* Id est, efficax. SYLV. — *Grave esse videretur.* Edd. quaedam vett. ut Iunt. *videtur.* ERNEST.

cui senatus singularibus verbis gratias egerit. Id fecit Senatus in aede Concordiae tum habitus, cum Allobroges et Umbrenus ad pontem Milvium deprehensi, Romam ad Ciceronem reducti sunt. Id dicit Cicero in tertia Invectiva [cap. 6. §. 14.] *Mihi,* inquit, *gratiae verbis amplissimis aguntur, quod virtute, consilio, prudentia mea, resp. periculis sit maximis liberata.* Ab eodem Senatu ad omnia pulvinaria supplicatio Ciceroni decreta est. Quirites hortatur Cicero, ut celebrent illos dies cum coniugibus ac liberis, ut idem in eadem Invectiva [§. 15.] scribit. SYLV.

cui uni togato supplicationem decreverit. Scripsit idem ad Catonem lib. XV. [ep. 4. §. 11.] his verbis: *Tu idem mihi supplicationem decrevisti togato, non, ut multis, republica bene gesta, sed, ut nemini, republica conservata.* et in Pisonem [cap. 3. in.] *Mihi togato senatus non, ut multis, bene gestae, sed, ut nemini, conservatae reipublicae, singulari genere supplicationis, deorum immortalium templa patefecit.* et Phil. XIV. [cap. 8. §. 23.] *Mihi consuli supplicatio, nullis armis sumtis, non ob caedem hostium, sed ob conservationem civium, novo et inaudito genere, decreta est.* MANUT.

non auctoritati assumam, sed pudori meo. I. e. non ita mihi arrogem, ut auctoritatem meam valere debere significem, sed ut pudorem meum et modestiam declarem. Planc. 33. §. 56. *ut eorum reprehensionem vos vestrae prudentiae assumere — debeatis.* Nat. D. III. 36. §. 87. *nihil nostrae laudi assumtum arbitramur.* MATTH.

multa audirem etc. Cf. pro Mil. 23. §. 61. MATTH.

quod initio dixi. Vid. §. 14. FR.

de re P. Sullae rem ullam ad me esse delatam. Vi-

tium apparet: itaque nonnulli *de re*, tanquam supervacaneum, inducendum putarunt: in quibusdam antiquis libris *de reatu* legitur; quod idem vitiosum esse constat. Nobis placeret, *de crimine;* non enim longe differt *crimine* a *re*, si *crimine* contracte legatur. MANUT. — Hic locus per se non videtur mendo vacare: auget suspicionem vetus codex, in quo scriptum est, *de reatu P. Sullae:* quidam doctus arbitratur legendum esse, *de coniuratione P. Sullae:* quod ego probarem, si tam longe non abesset ab antiqua scriptura. Ego putabam et *re*, in vulgatis libris, et *reatu*, in antiquis, esse delendum, ut adventitium: atque ita simpliciter legendum *de P. Sulla:* quo modo habent nonnulli libri vulg. Verumtamen movet me veteris codicis scriptura: quam cum attentius consideravi, adducor, ut putem legendum, *de coniuratu P. Sullae:* idem autem valet *coniuratus*, quod *coniuratio:* quemadmodum *comperendinatus* idem, quod *comperendinatio*, *contemtus*, quod *contemtio*, et similia. Atque eo magis hanc meam coniecturam amplector, quod fit mihi verisimile, Naugerium et similes, qui sine libris manuscr. Ciceroni manus admoverunt, aut, cum eos adhibuissent, eorum auctoritatem saepe adspernati sunt, hac voce, tanquam minus usitata, offensos, si forte eam adhuc integram in aliquibus libris antiquis repererunt: aut voce *reatu* iure improbata, si forte libri veteres iam ante ab aliquibus indoctis contaminata essent ita, ut nunc habemus, reposuisse, *de re P. Sullae.* quae scriptura mihi nullo modo probatur. LAMBIN. — Mendosa isthaec lectio, quam ne coniecturis quidem hactenus arbitror esse sanatam, nisi una fortasse, de qua mox dicam, non est tribuenda Naugerio. Primum enim ex V. L. Graevii et Gruteri silentio patet, complures codices eumdem errorem diserte habere: deinde alium illi proximum videre licet in duobus Graevii MSis et in duabus vetustis editionibus MCDLXXII. et LXXX. nimirum, *de Rep. Sullae*, quo praenomen Sullae voci antecedenti adhaesisse videatur. Atque ita etiam ferme altera vetus editio MCDLXXXIII. quae tamen exiguum aliquod in densa caligine lumen ostendit. Cum enim habeat, *de R.*

P. Sullae, facit, ut cogitem hunc erroris esse fontem potuisse, quod ab aliquo imperito littera *R.* intrusa fuerit, quasi *P.* non Sullae praenomen, sed altera earum esset litterarum, quibus *respublica* designari solet. Proinde recte iam editum a quibusdam, mihi tamen ignotis, et emendatum fuisse, *de P. Sulla.* [Inde explicari potest aliarum lectionum origo. Scil. valet hoc, *de crimine Sullae.* Beck.] Ita certe locutus est Cicero eo loco, quem hic intelligit, dum ait, *quod initio dixi*, nimirum cap. 5. *Nullus unquam de Sulla nuncius ad me, nullum indicium, nullae litterae pervenerunt, nulla suspicio.* Prior Veneta, *nullius litteris*, pro vulg. *nullis*, quam tamen firmat etiam cod. Barber, ita exhibens, *nullis litteris de re. p. Sillae.* Garaton. — Locus sine dubio vitiosus est. Lectio vulgata est ab Aldo. Edd. pr. omnes *de R. P. Sullae* vel *de rep. Sullae.* Ita coniungendum, *nullius litteris de republica*, quod saltem sensum habet, unde etiam vulgatae praetuli. Sed cur additur *de rep.* et quid est *res ulla Sullae?* Coniecturam nullam cuiusquam probabilem reperi. Accipiendum de male facto. Ernest.

C A P. XXXI.

§. 86. *Quamobrem vos, Dii patrii.* Conclusio est, in qua primum iureiurando P. Sullam a coniurationis scelere liberat, deinde affectum misericordiae iudicibus movet. Sylv.

Dii patrii ac penates. Servius libro Commentariorum in Aeneid. Virgilii III. [12. cf. ib. 264. et IX. 259.] *ex Varronis sententia eosdem esse* dicit *Penates et magnos Deos. Magnos autem Deos esse* dicit *Iovem, Minervam et Mercurium.* Macrobius in libro Saturnal. III. [cap. 4.] ex P. Nigidii et Cor. Labeonis sententia, *Troianorum Penates esse* dicit *Apollinem et Neptunum, qui muros iis fecisse dicuntur, quos in Italiam Aeneas advexit.* Dionysius Halicarnasseus libro I. [Antiq. Roman. cap. 68.] scribit Romae fuisse parvum quoddam et obscurum templum, in quo Deorum Troianorum imagines positae erant, atque ita inscriptae: *D. Penates.* Erant autem adolescentes duo sedentes, pila tenentes, habitu militari. Macrobius in eodem libro III. [cap.

eod.] *Penates eos esse* dicit, *per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos animi rationem possidemus. Esse autem medium aethera Iovem, Iunonem imum aera et terram, Minervam summam aetheris regionem.* Idem eosdem esse putat Penates, Deos Romanos et Deos patrios: Cicero in oratione pro Domo sua [cap. 47. §. 144.] Deos magnos et Penates eosdem non esse significat. Nam postquam Iovem Capitolinum, Iunonem reginam et urbis custodem Minervam obtestatus est: *Vos*, inquit, *patrii Penates familiaresque, qui huic urbi ac reipublicae praesides estis, vos obtestor* etc. Sylv. — Sine dubio Cicero intelligit per Deos patrios ac Penates, Iovem Capitolinum, Vestam, Palladem, Ianum, Martem et magnam praeterea manum, tum Romulum. *Κατ᾽ ἐξοχὴν Penates publici* Romanorum erant Vesta et Palladium. Io. Fr. Gronov. Diatribe in Statium cap. 44. [Tom. I. pag. 449. seq. ed. Hand.] quem vide, ubi de Diis patriis et penatibus disputat. Graev.

integro me animo ac libero. Id est, me non defendere Sullam, eumque ex coniuratione fuisse negare, causa amoris. Amor enim animum integrum atque liberum esse plerumque non sinit. Itaque Caesar apud Sallust. [cap. 51.] *Omnes homines*, inquit, *qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt.* Sylv. — *integro*, nulla cuiusquam gratia corrupto. Matth. — *liber*, fortis, qui neminem timet, qui dicit et facit, quae ipse probat, etsi aliis displiceant. Ernest. in Clav.

§. 87. *Itaque idem ego ille* etc. Cum hoc sine dubio coniungendum est id, quod infra est: *tam sum misericors* etc. Itaque illa, *persolvi — debentur*, debent esse in parenthesi dicta; neque aliter constat structura orationis totius. Ernest. — Ex nostra consuetudine ita procedere debebat oratio: *itaque idem ego ille, qui — visus sum, quum persolverim patriae quod debui, reliqua iam meae perp. cons. nat. debeo*, i. e. in reliquum mitis esse; sed sententiam secundariam *quum persolverim* uno tenore cum prima-

ria connectit. Vid. ad Manil. §. 2. ad Sext. §§. 44. 105. 138. Mil. §. 33. Male itaque Ern. et Schuetz. verba *persolvi* — *debentur* parenthesi a reliquis secluserunt. MATTH.

vehemens in alios. Id est, severus. SYLV.

persolvi patriae, quod debui. Poena coniuratorum. MANUT.

demersum extuli. Extuli nescio num alibi eadem vi legatur pro *afflictam erexi et in pristinam fortunam restitui*, ut explicat Mencken. Obss. L. Lat. pag. 303. MATTH.

misericordia civium adducti. Cicero ut in causa Verris se potius Siculos defendere, quam Verrem accusare dicit, ita hoc loco se misericordia civium adductum dicit, ut de coniuratis supplicium sumeret, ut in hoc naturam, in illo morem suum retineret. SYLV. — Cf. IV. in Catil. cap. 6. FR.

deducor. Vid. Mencken. Oss. L. Lat. pag. 220. MATTH.

§. 88. *misericordia digna multa.* Ea quae fuerint, postea enumerat. Auctore Quinctil. lib. VI. [cap. 1. §. 23.] *plurimum valet miseratio, quae iudicem flecti non tantum cogit, sed motum quoque animi sui lacrymis confiteri. Haec petetur aut ex iis, quae passus est reus, aut ex iis, quae cum maxime patitur, aut ex iis, quae damnatum manent: quae et ipsa duplicantur, cum dicimus, ex qua illi fortuna et in quam recidendum sit. Affert in his momentum et aetas et sexus et pignora, liberi, dico, et parentes et propinqui.* His modis maiore ex parte misericordiam hic Cicero movet. SYLV.

propulsandae calamitatis suae. I. e. ut absolvatur. SYLV.

nota nefariae turp. inuratur. Cf. Catil. I. §. 13. FR.

quae habet ornamenta. Si nulla ornamenta, nulla reliquae vitae solatia habet, quibus laetari et perfrui possit, si absolvatur, non confugit Sulla ad iudices, ut propulset calamitatem. SYLV. — Puto corrigendum esse *habebit;* nam et post futura sunt. Vitium ortum est e compendiaria scriptura. [Nulla prorsus causa est, cur praesens reiiciatur. FR.] Post, *unius iudicii calamitate*, quod fuit de ambitu. ERNEST.

credo. Ironia est. SYLV.

aperientur maiorum imagines. Morem Romanum fuisse significare videtur, ut cum quis reus damnatus esset, maiorum eius imagines clauderentur, tanquam rei calamitate deformatae essent: sicut ornatum vestitumque reis et damnatis mutare mos erat. SYLV.

amissa sunt. Cum de ambitu damnatus est. MANUT.

unius iudicii. Quo de ambitu damnatus est. SYLV.

calamitate occiderunt. In veteri codice legitur *conciderunt* pro *occiderunt.* Differentiam autem inter haec duo verba constituit Cicero pro Domo sua, cum ait cap. 36. [§. 96. ubi cf. Ern.] *Remque publicam concidere unius discessu, quam omnium interitu occidere malui.* Verum hoc quidem in loco varia lectio est. Hoc igitur leve est. At istud non leve, quod pro *generis* illic legitur *sceleris*, posteriore quidem loco sic: *ne hanc labem tanti sceleris in familia relinquat.* H. STEPHANUS. — Ita haec, *concidere* et *occidere*, permutantur cap. 7. post red. in Sen. atque in Sallust. Cat. LXI. 3. ubi vide Cortium et viros doctos ad Liv. XXIII. 24. quo quidem loco praestat, meo iudicio, legere *caderent* aut *conciderent*, cum de arboribus agatur, quam, ut editur, *occiderent.* Hic rectum arbitror esse utrumque. GARATON.

labem tanti sceleris. Sic et hunc locum restitui, fidem Henr. Stephani secutus, qui se ita scriptum reperisse in vet. codice confirmat; nam lectio vulgata, *labem tanti generis*, ferri non potest: eidemque credidi dicenti, in eodem lib. scriptum esse, *disciplinarum et scholae.* LAMBIN. — *labem tanti generis.* Putat istud retineri posse, contra sententiam Lambini, Guilielmius: et sic sane Pall. nostri: MSus Henr. Stephani, *tanti sceleris.* GRUT. — *tanti sceleris* tamen Pithoeus invenit in suis membranis. GRAEV. — Quidquid Guilielmius aliique sint opinati, sequor Pithoei codicem et Stephani, licet hic infra manifesto interpolatus appareat, verbaque *et scholae* malo interpreti debeat. GARAT. — *labem tanti sceleris.* Sic cum Lambino edidi e MS. H. Steph. et Pithoei, in quibus id repertum est: nisi uterque idem est.

tanti generis familia nihili est. ERNEST. — *labem tanti sceleris.* nempe *iudicio de ambitu*, quo damnatus est, et quum iam designatus esset, consulatu depulsus. SCHUETZ.

id laborat. Id est, id vehementer curat. SYLV.

id metuit, ne denique hic miser, coniurati et consceleratí et proditoris filius nominetur; huic puero, qui est ei vita sua multo carior, metuit; cui honoris etc. Hic viginti nunc primum accedunt voces auctori nostro, ex Thuringico exemplari, quae prorsus requirebantur et sine quibus sensus mutilus. GRUT. — *hic miser* δεικτικῶς ponitur; adduxerant enim puerum. BECK.

cui honoris integros fructus. Insignia consulatus, quae, nisi Sulla damnatus esset, ad filium pervenissent; supra [cap. 17. §. 50.] *honor ad patrem, insignia honoris ad te delata sunt.* MANUT. — *metuit, ne huic puero aeternam memoriam dedecoris relinquat* iungenda sunt pro, *metuit, ne, cui — trad. sit* (i. e. quum ei — trad. sit) *ei aet. m. dedec. rel.* MATTH.

§. 89. *Hic vos orat, iudices, parvus.* Liberos multum valere ad movendos affectus, scribit Quinctil. lib. IV. [cap. 1. §. 42.] et VI. [cap. 1. §. 24.] et tantum valent, ut Sergius Galba ad populum Romanum causam dicens, cum periclitaretur, parvulos filios suos et Sulpicii Galli sanguine coniunctum filium populo Romano flens commendaverit. Quo concionem ita mitigavit, ut qui omnium consensu periturus erat, paene nullum triste suffragium habuerit. Auctor est Valer. Max. lib. VIII. tit. Infames rei quibus ex causis absoluti et damnati sint. [cap. 1. §. 2.] — Cf. Ruhnk. ad Rutil. Lup. pag. 102, b. ed. m. FR.

si non integra. Iam enim consulatum amisit. MANUT.

gratulari. Absoluto a vobis. MANUT.

disciplinarum. Id est, scholarum. SYLV. — *quam campi et disciplinarum.* Egregie et hoc Erfurdiensis ille; nam vulgata tantum, *quam disciplinarum.* Lambinus ex Stephani MSo, *quam scholae et discipl.* GRUT. — In campo Martio corpus equitando, arma tractando, natando, in di-

sciplinis, sive locis, ubi imbuebantur disciplinis, animus exercebatur. Graev. — *itinera disciplinarum.* i. e. genera et variae rationes in disciplinis sequendae, ut Leg. I. 13. *iter sermonis.* Cf. ad Quint. Fr. III. 4. Matth.

Vita erepta est. Vita enim Sullae tam misera est, ut mors potius quam vita videatur. Sylv. — Quia damnato ambitus vita non amplius est vitalis. Matth.

ne corpus eiiciatur. Id est, ne damnatus Sulla exsilio multetur [lege Tullia]: vis enim exsilio multabatur. Sylv.

aut quid est, quamobrem haec cuiquam vita videatur. Ex instituto rhetorico miserationem movet, primo ex generali cuiuslibet exsilii calamitate, quae tanta est, ut vitam adimere videatur; deinde ex peculiari Sullae depressione, qui ex summa fortuna sic ad infimam decidit, ut luctus spatium et locum imploret, non gaudii. Sylv.

C A P. XXXII.

Nuper is homo fuit. Ex fortuna, in qua fuit P. Sulla, maiorem fortunae acerbitatem, quam fert, ostendit. Ex hac itidem ostendit fortunam graviorem, in quam P. Sullae recidendum sit, si condemnetur. *Nuper*, id est, antequam de ambitu Sulla damnatus esset. Erat autem plus triennium. Sylv.

gratia. Qua valeret apud multos. Multis enim Sulla gratiosus erat. Sylv.

quod fortuna in malis reliqui fecit. Ordo est: Sulla obtestatur vos iudices, ne eripiatis sibi id, quod reliqui fortuna fecit in malis. Id autem est, ut liceat lugere calamitatem suam etc. Sylv.

cum fratre. L. Caecilio. Sylv.

§. 90. *Te ipsum iam, Torquate.* Accusatoris odia mitigat, simul iudicum movet misericordiam, ex Sullae miseria. Sylv.

expletum. Id est, saturatum. Sylv. — *expletum esse huius miseriis par erat.* Ne quis hic se torqueat, admoneo legendum esse, *par erat*, ut in veteri codice, pro *pateat.*

Tunc belle cohaerebit cum his illud *oportebat*, hoc pacto: te miseriis huius expletum esse decebat et oportebat etc. Nam et hoc non tacendum est, infinitivum *esse* in illo libro haberi post *expletum*. Non dicit igitur Cicero, ostende te satiatum esse, sed, decebat te satiatum esse, illum nondum satiatum esse indicans. De hoc autem etiam initio orationis [§. 1.] conquestus est, cum diceret: *tamen haberet quosdam, quorum animos ne supplicio quidem satiare posset*. Disce vel ex hoc loco, lector, ut nulli sint saepenumero depravatiores loci, quam ii, qui nullam depravationem prae se ferunt. Ut autem hic habes *pateat* pro *par erat*, nato primum errore ex mutatione litterae R in T, ita vicissim errorem ex T in R perperam verso habuisti a me adnotatum ad XIII. ep. ad Famil. 29. Hoc quoque non indignum est, quod adnotetur, legi aliquanto post, *aut cui novae calamitati locus ullus reliqtus esse*, non autem, *esset*: nimirum ut repetatur ἀπὸ τοῦ κοινοῦ verbum *videretur*. H. Stephanus. — Divinam plane H. Stephani in hoc loco restituendo coniecturam secutus sum. Lamb. — Ita quoque Erfurdiense exemplar, ut deinceps nemo dubitare debeat de lectionis veritate; vulgo *pateat*. Grut. — Gothofred. in marg. ed. Lugd. rescribi vult, *sat* (s. *satis*) *erat*, quod *par esse* sit i. q. aequum esse. Fr.

honoris enim contentio. Id est, ambitio. ut in I. de Offic. [cap. 25. §. 87.] *Miserrima est omnino ambitio honorisque contentio*. Eodem auctore cum civiliter contendimus, aliter si est inimicus, aliter si competitor: cum altero certamen honoris et dignitatis, cum altero capitis et famae. Sylv.

cum honore. Id est, cum consulatu. Sylv.

in hac fortuna — — destitutus sit. Vide Clav. in hoc v. Ern. — i. e. constitutus, sed in partem deteriorem, cum ignominia. Fr. — *misera ac luctuosissima*. Praeclare Lambinus *miserrima* pro *misera*. Vide ad IV. in Catil. 1. Sed quoniam neque ille citat codicem ullum, neque aliorum scriptos, aut Barb. aut ullos editos comperi a vulgata discedere, hac utamur. Non desunt exempla positivi cum su-

perlativo coniuncti: quam tamen vitare coniunctionem libenter soleo, ubi MSos variare perspicio. GARATON.

lucisne hanc usuram. Id est, hanc vitam, qua utitur; ut Actione in Verrem VII. [lib. II. cap. 30. §. 75.] *Cur civibus Romanis, quos piratae ceperant, securi statim percussis, ipsis piratis lucis usuram tam diuturnam dedisti?* et pro C. Rabirio Postumo [fin.] *Vos obsecro, iudices, ut huic optimo viro, quo nemo melior unquam fuit, nomen equitis Romani et usuram huius lucis et vestrum conspectum ne eripiatis.* SYLV.

libenter reddiderit. Hanc lucis usuram scilicet; id est, libenter morietur: tamquam a Deo, vel a natura hanc vitam accipiamus, quam tum reddimus, cum morimur. SYLV. — *reddiderit* (hanc lucem, vel animam, tanquam rem debitam, et cuius usura tantum concessa fuit) *adempta ignom.* si ignominia adempta fuerit. Vid. ad Catil. IV. §. 11. Hoc loco inest in futuro exacto significatio rei alacriter et sine mora faciendae. MATTH.

foedissimi criminis. Id est, coniurationis. SYLV.

expellas. Id est, in exilium eiicias. SYLV.

cuius ex miseriis. pro, at ex eius mis. Vid. ad Rosc. §. 105. MATTH.

§. 91. *o volucrem fortunam.* Valla cap. 13. lib. II. hoc in loco legit, *o variam et volucrem fortunam!* SYLV.

caecam cupiditatem. Dicitur hoc loco lenius, de cupiditate boni opinati, cum appetimus rem specie praeclaram et nescimus, eam nobis perniciosam fore. ERNEST.

o praeposteram gratulationem. Praeposterum id dicitur, quod mutato et perverso ordine factum aut dictum est. ut praepostera verba Cicero dicit in oratione pro Domo sua [cap. 55. §. 140.] *Delatum est ad vos, Pontifices, et post omnium sermone celebratum, quemadmodum iste praeposteris verbis, omnibus obscoenis, identidem se ipse revocando dubitans, timens, haesitans omnia aliter ac vos in monumentis habetis, et pronunciarit et fecerit.* Idem praeposterum imperatorem, improbum ac perversum appellat L. Pisonem

in oratione in ipsum [cap. 38. §. 92.] *Hic cum similem exitum spectaret in Macedonia, trophaea posuit, eaque quae bellicae laudis victoriaeque omnes gentes insignia et monumenta esse voluerunt, noster hic praeposterus imperator amissorum oppidorum, caesarum legionum, provinciae praesidio et reliquis militibus orbatae, ad sempiternum dedecus sui generis et nominis indicia constituit.* Idem pro A. Cluentio [cap. 26. §. 71.] de Staleno: *Itaque ut erat semper praeposterus atque perversus, initium fecit a Balbo. Praepostera* igitur *gratulatio* aut perversa est, aut quae nimium cito facta sit. Sylv.

quam cito illa omnia. Guilielmius substitutum cuperet *omina.* Gruter.

ad luctum et lacrymas reciderunt. Vide cap. 40. et 41. pro Murena, ubi, ne haec eadem illi accidant, iudices orat et eius luctus commemoratione permovere studet. Garaton.

Quid enim erat mali. Amplificat miseriam P. Sullae, quae eo de ambitu damnato ita magna erat, ut fieri maior non posse videretur. Modo vero facta maior est, cum de coniuratione accusatus est: quae maxima erit, si damnabitur. Sylv.

cui — locus relictus esset. Esset verum esse non potest: non enim pendent haec a praecedentibus. Sunt duo membra: quid erat mali, quod abesset: quae nova calamitas locum habebat. Ergo debet esse *relictus erat:* respondet, *quid mali erat.* Ernest. — Explicari coniunctivus (vid. Scheller. Obss. pag. 99.) ita potest: relictus videri posset. Tamen ego quoque e praeced. *videretur* enatum puto coniunctivum hunc. Beck. — Monuit supra Stephanus, in suo codice legi, *relictus esse?* Estne hoc melius? Putat ille subaudiri *videretur.* At ego dubito vehementer, num satis commode hoc fieri possit. [Garatonio adsentitur Beck. quoque. Fr.] Itaque vulgatam malo, quam in meis omnibus libris esse perspicio. Garat. — Si quid mutandum esset, Wolfius *est* mallet quam *erat.* Fr.

reperit novum moerorem. Sic est in libris manuscr.

non, ut in vulgatis, *repetit;* et infra, ubi vulgati habent *delecti ad spem acerbitatis*, idem ille habet *dilecti ad spem* etc. LAMBIN. — Uterque Francii et ed. prim. quoque adstruit τὸ *reperit*. GRAEV. — Hoc ex Lambino receperat iam Gruterus, suis fortasse MSis adstipulantibus, ut certe Barber. et ambae Ven. adstipulantur. Facillima litterarum permutatio in editionibus sequentibus et in aliis MSis contigit, pessime *repetit* exhibentibus, de qua modo Stephanus egit aliique complures. GARATON.

CAP. XXXIII.

§. 92. *Sed iam impedior egomet, iudices, dolore animi.* Simile est illud pro Milone [cap. 38. §. 105.] *Sed finis sit; neque enim prae lacrymis iam loqui possum.* Oratorem vere affectum esse debere, si aliis affectus movere velit, Quinctilianus [I. 10. 24. sq. et praecipue XI. 2. 26. sq.] docet. SYLV.

reiectione interposita. Facile est intelligere, unius accusatoris in crimine coniurationis reiectionem iudicum fuisse; verisimile est autem, in reiectorum locum eos deligi solitos ab accusatore, quos putaret de reo severissime iudicaturos. quam Cicero ex accusatoris mente *acerbitatem* appellat. Iudicum autem gratiam et clementiam aucupatur in eo, quod subiungit: *a fortuna nobis ad praesidium innocentiae constituti.* et infra: *est vestri animi atque virtutis, declarare, non eos esse vos, ad quos potissimum, interposita reiectione, devenire convenerit.* Quo loco significat, si crudeles iudices accusator quaesierit, errasse in delectu: quos enim delegit, a crudelitate longe abesse. MANUT. — Facta iudicum sortitione, licebat accusatori et reo ex eo numero reiicere, quos sibi inimicos aut aliqua ex re incommodos fore putarent: *Ex moribus autem ac fama iudicum eorum, quos aut reiiciebant aut retinebant, solebat populus Romanus coniecturam facere, qui causae suae confideret, aut qui vellet iudices corrumpere: deinde fiebat subsortitio aliorum iudicum, in locum eorum, qui reiecti fuerant.* ut ait

Asconius in II. Act. in Verrem [Act. I. cap. 6.] Lucius Torquatus multos ex iudicibus reiecit, quos sibi commodos fore non putabat. Eorum in locum facta est subsortitio. Hos subsortitos iudices appellat repentinos. *Reiectione*, id est, ut vulgo dicunt, recusatione iudicum. SYLV. — *vos, reiectione interposita* etc. Vulgo *vos et r.* Delevi *et*, quod locum hic habere non potest, et non est in ed. Iunt. Ceterum hic locus non est ab interpretibus explicatus, ne a P. Manutio quidem intellectus, qui unius accusatoris dicit fuisse, reiicere iudices, et verbum *delecti* proprie accepit, non in sensu iudiciali. Nempe post sortitionem primam iudicum Torquato placuit, quosdam ex iudicibus, qui sorte exissent, reiicere, quod et accusatori et reo licebat. Videtur opinio fuisse, Torquatum non postulaturum reiectionem, quod iudices ita lecti essent viri famae optimae: repente deinde mutasse consilium et postulasse. unde dicit Cicero, id factum, nihil se suspicante. Hinc intelligendum verbum *interposita*. [Hoc enim vim habet clandestinae et subdolae machinationis. MATTH.] Tum deinde *delecti* iudices non sunt, quos Torquatus legit; nam hoc non licebat actori causae: sed qui facta reiectione, per subsortitionem facti sunt iudices. Et hi iudices dicuntur apud Ciceronem *lecti* vel *delecti*, ut iam supra docuimus per aliquam occasionem et diximus in Clave. [cf. ad Rosc. §. 9. MATTH.] Nec id impedit, quod *ab accusatoribus delecti* dicuntur: nam id dicitur, quia accusatores reiectionem et deinde subsortitionem postulaverant. ERNEST.

nihil suspicantibus nobis. Nullos enim iudices reiecimus, quia causam nostram desperabamus. SYLV. — Vide Manut. et nos infra. GARATON.

ab accusatoribus. Id est, a Torquato, Cornelio aliisque, qui accusationem adiuverunt. SYLV.

ad spem acerbitatis. Sperabant enim vos fore acerbiores iudices in P. Sullam. SYLV. — Pro *ob spem* acerb. fortasse propter sequens *ad praesidium*. MATTH.

a fortuna. Sortitionem enim et subsortitionem fortuna regit; accusatorum spem de iudicibus iniquam Sullae aequam esse significat, ut Sullae magis conciliati sint. SYLV.

— Omnia, quae hic iudicibus a Tullio dicuntur, Sylvius obscurat. Est aliquid etiam, in quo Manutio repugnem. Res ita mihi sese habuisse videtur. Lege Lutatia, qua in P. Sullam quaerebatur, nullus erat sortitioni locus et accusator totum iudicum consilium atque ipsum Quaesitorem deligebat. Ostendit hoc egregie Ferratius ad arg. pro Coelio. Ita fiebat, ut non modo is praetor desereretur, si qui forte de vi publica ex lege Plautia quaerebat, ut diximus ad cap. 53. pro Cluent et in Exc. §. XI. sed etiam ut lege Lutatia privatus aliquis, maioribus tamen functus magistratibus, Quaesitor esse posset. Quis etenim fuit ille *Cn. Lentulus Clodianus*, apud quem C. Antonius reus dicitur factus cap. 11. in Vatin. nisi Censorius vir in historia notissimus? Unum enim fuisse *Lentulum* eo tempore, cui cognomentum *Clodiano* esset, arbitror esse certum. Cicero I. ad Att. 19. [§. 2.] *Lentulus Clodiani filius.* Sallustius IV. Hist. I. *Cn. Lentulus, collega eius, cui cognomentum Clodiano fuit.* Non ita sane suo cognomine homo demonstraretur, si plures aut eius saltem filius idem habuerit. Sed quoniam illo Vatinianae loco Ferratius uti nescivit, quo et haec, qua de agimus, eius opinio confirmatur et eiusdem aliae refelluntur, nos inde huic nostro lucem aliisque petamus. Iam de Clodiano nihil potuit ille suspicari, vitiosa lectione deceptus, quam retinet in epistola huic Tomo subiecta [lib. I. ep. 11.] Quod sequitur, consideremus: *Maximi quidem summa laus est, sumtis inimicitiis, suscepta causa, Quaesitore* (Lentulo Clodiano) *consilioque delecto, commodiorem inimico suo conditionem* (quam reis dedit post Antonii accusationem a Maximo coeptam lex Vatinia) *reiectionis dare noluisse.* Ex his primum observo, C. Antonium causam de vi publica, h. e. de coniuratione dixisse. Nullo enim alio iudicio Quaesitor et consilium deligebatur, quod et illo Antonii et hoc Sullae factum Cicero aperte tradit. Idem Cassius Dion [lib. XXXVIII. pag. 156. Reim. Tom. I. pag. 388. Sturz.] existimavit, cui Ferratius illa epist. contradicens, iis contradicit imprudens, quae ad Coelianam ipse pulcre observarat. Frustra vero auxilium petit

ab Tullio: neque enim ille potest eludi Coelianae locus cum altero Vatinianae consentiens cap. 7. *Hoc dico, non modo si socius coniurationis, sed nisi inimicissimus istius sceleris fuisset* (Coelius), *numquam coniurationis accusatione adolescentiam suam potissimum commendare voluisset.* Deinde cum duplicem Antonii accusationem viri doctissimi statuant, ex hac mea collatione locorum sequitur, unam, ut Dion indicat, eamque de coniuratione fuisse. Ferratio, qui Antonium a Maximo, non a Coelio oppressum putat, iterum oppono Tullium eod. cap. 7. *Cum* (Coelius) *ex reipublicae causa esset, mihi quidem molestam, sibi tamen gloriosam victoriam consecutus.* Quid clarius? Una eademque fuit Maximi et Coelii accusatio. Imo Valerius Max. IV. 2. [s. 6.] tertium accusatorem addit Caninium Gallum. Hos recte coniunxit Freinshem. Supplem. Liv. CIII. 103. Horum nempe unus (Maximum ego puto) proprie accusator fuit, ceteri subscriptores. Omnia sic optime conciliantur. Confer etiam quae diximus ad cap. 38. pro Flacco. His praemissis tandem intelligitur, in coniurationis quaestione *reiectionem* rei fuisse, non accusatoris, contra sentiente Manutio: atque id ante legem Vatiniam obtinuisse, quae *commodiorem* tantum reis illam reiectionem fecit. Itaque, cum L. Torquatus Quaesitorem ac iudices delegisset, iudicum *reiectio* a P. Sulla est *interposita.* In reiectorum locum alios Quaesitor fortasse proposuerat, quibus Torquatus et subscriptores (vide ad cap. 18.) adquieturi viderentur. Sed certe totum consilium, quam tardissime potuere, iterum hi *delegerunt.* Recte autem cod. Barberinus exhibet, *vos, reiectione* etc. sine importuna copula *et.* GARATON.

quid de me populus Romanus existimaret. Quem intelligere cupiebam, non me natura, sed reipublicae causa severum in improbos fuisse; itaque Sullae innocentis defensionem libenter suscepi. MANUT.

in improbos. Coniuratos. SYLV.

innocentis. Sullae. SYLV.

per hos menses. Licet coniicere, Sullam a Cicerone defensum statim post eius consulatum, id est, Silano et Murena

Coss. nam *per hos menses* praesentem annum ostendit. Manut. — Id est, paucis his mensibus. Significat autem hanc Sullae causam paucis mensibus post Ciceronis consulatum actam fuisse. Sylv.

facta est. Malim legi *facta sunt;* ut sit, quae iudicia facta sunt etc. Lambin.

lenitate. In P. Sullam. Sylv.

§. 93. *ipsa causa.* Quam a me iam plane cognovistis. Manut.

virtutis. Id est, magnanimitatis. Sylv.

non esse eos vos. Vos non esse tales. Sylv. — Hoc referendum est ad spem accusatoris. *Interposita reiect.* visum nobis est ab glossatore e superioribus additum. Abesse quidem commode potest. Ern. — Si verba *interp. reiect.* ad Sullam referuntur, ex Garat. sententia, tum necessario hic delenda erunt. Beck. — Wolffius in interpretatione Germ. illa verba omisit, utpote quae neque ad Sullam neque ad accusatorem commode referri possint. Fr.

devenire. Spes accusatorem fefellit; vos enim delegit potissimum ad spem acerbitatis; ego autem, cum ipsam causam considero, cum vestrum animum, vestram virtutem intueor, non a vobis crudelitatem, sed lenitatem potius ac misericordiam exspecto. Manut. — *ad quos devenire convenerit.* Id est, ut vulgo dicunt, ad quos se dirigere debuerint. Est autem *convenerit* impersonale. Sylv.

in republica coniuncti sumus. Id est, Senatores sumus. Cum equitibus itidem coniunctus erat Cicero. Sylv.

a nobis. A me, propter consulatus mei severitatem: a vobis, absolutione P. Sullae. Manut.

COMMENTARIA ANTIQUA
IN
M. TULLII CICERONIS
ORATIONEM
PRO
P. SULLA
CUM INTEGRIS ANGELI MAII ADNOTATIONIBUS

EX EDITIONE III. AB ANGELO MAIO CURATA
(CLASSICORUM AUCTORUM E VATICAN. CODD. EDITORUM
TOM. II. ROMAE 1828.)

ACCURATE REPETIIT
SUASQUE ADNOTATIONES ADDIDIT
CAROLUS HENRICUS FROTSCHER

AD ORATIONEM

PRO .P. SYLLA [1])

COMMENTARIUS [2])

Cap. III. §. 9. . . . . videatur adsciscere; ait se non periculum communicare sed laudem, nec ut plures periclitentur, sed ut multi aequaliter glorientur.

---

1) Cellarius orthograph. (ed. Patav. 1724. pag. 7.) ait: „Sulla, „viri nomen, quod Graeci Σύλλα scribunt, latinum est, ideoque ubi-„que fere *u* servatur." Codex tamen antiquissimus ambrosianus semper habet *Sylla*. A. M. — Vid. supra pag. 2. et sqq. Fr.

2) Ne ad orationem quidem *pro Sylla* extabat ullus vetus commentarius, prius quam ego hunc anonymi auctoris ex ambrosiano codice divulgarem. A. M. — Ac primum quidem vir egregius hunc commentarium edidit anno 1814. in libro, cuius haec est inscriptio: *M. Tullii Ciceronis trium orationum, in Clodium et Curionem, de aere alieno Milonis, de rege Alexandrino, fragmenta inedita, item ad tres praedictas orationes et ad alias Tullianas quatuor editas commentarius antiquus ineditus, qui videtur Asconii Pediani, scholia insuper antiqua et inedita, quae videntur excerpta e commentario deperdito eiusdem Asconii Pediani, ad alias rursus quatuor Ciceronis editas orationes. Omnia ex antiquissimis MSS. cum criticis notis edebat Angelus Maius, Bibliothecae Ambrosianae a linguis orientalibus. Mediolani, typis Iohannis Pirotae.* Huius libri editio altera anno 1817. prodiit hoc indice: *M. Tullii Ciceronis sex orationum partes ante nostram aetatem ineditae, cum antiquo interprete ante nostram item aetatem inedito, qui videtur Asconius Pedianus, ad Tullianas septem orationes, Accedunt scholia minora vetera. Editio altera, quam ad Codd. Ambrosianos recensuit, emendavit et auxit, ac descriptione Codd. CXLIX, vita Ciceronis aliisque additamentis instruxit Angelus Maius, Ambrosiani Collegii doctor. Mediolani, regiis typis.* Hac editione usus est Schuetzius;

§. 10. IN AUTRONIUM TESTIMONIUM DIXISTI, INQUIT, SYLLAM DEFENDIS. Et 3) relicum. 4)

Acutissimum torquet *argumentum* 5) prope ad vim dialecticorum, ut adversarii propositio utrimque conclusa teneatur. Dixisti, inquit, in Autronium testimonium, et quodammodo nunc deficis a constantia tua, qui P. Syllae patrocinaris. Huic ita factae propositioni 6) opponitur, ut animadvertis, acuta responsio. Si minus integre, inquid, 7) testimonium dixi; nec defensioni meae, quam nunc adgredior, inesse debet auctoritas: sin vero 8) fides constitit mihi testimonium dicenti, 9) cur non ab eadem fide etiam defensionis huius aequitas descendat? Et hic iam se animis iudicum latenter insinuat, ut praesens defensio in testimonii vicem cedat.

VIDEOR ENIM IAM NON SOLUM STUDIUM AD DEFENDEN-

---

mihi eam inspicere non licuit. Tertia ea est, quam supra significavi me sequutum esse. FR.

3) Cod. *ed.*

4) Schuetzius, qui haec ex ed. Mediolanensi II. repetiit in ed. Opp. Cic. Tom. XVI. P. III. (Lips. 1823.) pag. 162. sqq. quum hic tum infra (§. 25. 40. et 92.) pro vv. *Et relicum* suo arbitratu posuit *etc.* FR.

5) Spatium in codice relictum explevi hoc vocabulo.

6) Codex *huic ita factq propositione.*

7) Ita cod. *inquid.* A. M. — Schuetz. ubique *inquit*, similiterque vulgarem rationem sequutus scripsit *deprehensa* §. 11. *obtinens* §. 14. *subtilitate* §. 17. *sanxerunt* ibid. *talionem* — *abiicit* — *haereat* §. 22. extr. *obtulerunt* §. 23. extr. *apud* §. 26. med. *tribunus* §. 31. *subiicit* §. 36. med. *retulisse* — *immortales* §. 40. *retulerit* §. 42. *immitiores* §. 92. med. Neque tamen in his sibi satis constans interdum Codicis scripturam retinuit. FR.

8) Schuetz. *si vero.* et sic ed. pr. Mediol. FR.

9) Ed. Schuetz. *dicendi*, errore typogr. cuius generis in eo libro permulta deprehendas, velut *innocentem* (*innocentem*) §. 15. extr. *ut ubi non sceleratus* (ut *ibi* non scel.) §. 17. extr. *maiore insectatur insectatur invidia* (maiore *insectatur* invid.) §. 22. extr. *bellis socialis* (*belli* socialis) §. 25. med. *perfunctis periculis* (*perfunctus* periculis) §. 26. FR.

DUM [10]) CAUSAS, VERUM ETIAM OPINIONIS ALIQUID ET AUCTORITATIS ADFERRE.

Cavet [11]) valde ne odium quoddam nimiae huius adseverationis [12]) incurrat. Facit enim periculum inpudentiae, qui cum patronus sit, velit testis videri.

CAP. IV. §. 11. DUAE CONIURATIONES ABS TE, TORQUATE, CONSTITUUNTUR.

Coniuratio diversi generis infertur geminata propositione: et fit a M. Tullio consultissima et non incuriosis lectoribus admiranda discretio, ut solum tempus ipse defendat coniurationis eius, quae se consule depraehensa sit; illud vero superius Hortensio patrocinante fateatur dilucide peroratum. Ita nec fit ulla iactura defensionis, quod illud superius tempus omittat, quoniam defendit Hortensius: et cum hoc sibi potissimum velut privatim et peculiariter vindicet ad diluendum, magis existimetur testimonio niti quam probatione, defendens ea scilicet quibus ipse consul interfuit.

§. 12. ERGO ISTIUS CONIURATIONIS CRIMEN DEFENSUM AB EO EST QUI INTERFUIT.

Non contentus [13]) sibi uni vindicare testis auctoritatem, etiam in illo praecedentis coniurationis tempore, quoniam se non potest, vel ipsum testem constituit Hortensium. Sic contra iniuriam temporis utriusque non defensiones duorum, sed testimonia, videntur opponi.

NON MODO ANIMO [14]) NIHIL COMPERI, SED AD AURIS MEAS ISTIUS SUSPICIONIS FAMA NON [15]) PERVENIT.

---

10) Cod. *defendendam.* — Libri omnes *defendendas*, in iisdemque deest supra *iam.* Sed ambrosiana lectio retinenda. N. i. e. NIEBUHR. vid. Maii praefat. pag. XII. et sq. Caeterum „*defendendum* pro *defendendas* vix cuiquam se venditabit. Contra *etiam* post *verum* Schol. haud male adiicit vulgatae.“ Sic Orellius in Excursu XXIV. orationi pro Plancio (Lipsiae a. 1825.) adiecto pag. 314. FR.

11) Spatium aut lituram codicis explevi verbo *cavet.*

12) Codex *adservationis.*

13) Cf. quae dixi ad Quinctilian. X. 2. §. 7. FR.

14) Libri editi et codd. *enim* pro *animo.* N.

15) Cod. *famam pervenit.* A. M. — Bene Maius ex his fecit

Obnixe negando de illa superiore coniuratione nihil [16]) se comperisse, hoc persuadere conititur, [17]) omnia sibi in consulatu suo fuisse manifesta.

CAP. V. §. 14. MULTA CUM ESSEM CONSUL DE SUMMIS REI .P. PERICULIS AUDIVI, MULTA QUAESIVI, MULTA COGNOVI: NULLUS UMQUAM DE SYLLA NUNTIUS AD ME, NULLUM INDICIUM, NULLAE LITTERAE PERVENERUNT, NULLA SUSPICIO.

Haec vero non patroni magis quam testis oratio est. Quibus enim verbis, praeter quam his, uti posset qui testimonium rogaretur? Mire [18]) *sibi* optinens *ut fides adhibeatur*, quasi expectandum iam non sit ut probet, quoniam credi debeat rei .p. conservatori.

SED EGO NONDUM *UTOR HAC* [19]) VOCE AD HUNC DEFENDENDUM.

Moderate et consulte facit, quo magis mereatur obtinere [20]) testis auctoritatem, quam sibi ipse non vindicet.

§. 15. QUAE ENIM FUIT AUTRONII [21]) CAUSA? QUAE SYLLAE EST?

Dissimilitudinem duorum .P. Syllae et Autronii facta comparatione prosequitur, ne huius praedamnatio sit illa sententia, quae in Autronium dicta est necessario. Igitur ostendit numquam similes fuisse, ut per hoc facilius Syllam persuadeat innocentem.

---

fama non pervenit; sed aptius utique in edd. est, *vix ad aur. m. — fama pervenit.* FR.

16) Nota *nihil* post verbum *negandi* positum. Cf. Duker. ad Flor. III. 17. extr. FR.

17) Schuetz. *connititur*, sed §. 92. *conisus*, ut est in Cod. FR.

18) Cod. *mirae . . . optinens . . quasi* etc. relictis spatiis, ita ut sensus loci hiaret.

19) Verba *utor hac* desunt in codice, quae supplevi ex editis.

20) Nota heic *obtinere*, at superius *optinens*. Saepe enim in codice scriptio eiusdem vocabuli varia est.

21) Melior vulg. lectio, *Autronii fuit causa* FR.

§. 17. Illum Allobroges maximarum rerum verissimi indices.

Oratoria suptilitate adserit hic et confitetur Allobrogum fidem, quos verissimos indices dicit, a quibus Syllam nominatum non esse constabat.

Hic contra ita quievit, ut eo tempore omni Neapoli fuerit.

Quoniam videri poterat .P. Sylla damnatus conscientia [22]) detecti criminis sui ab oculis omnium secessisse, et urbem Romam reliquisse, trahit orator ad verecundiae argumentum, dicens, ea propter sub oculis esse civium noluisse, quod erubesceret in aliquo vitae suae *articulo* honorem defloratum dignitatemque mutilatam. Nec moverit nos quod ita loquatur de Sylla Cicero, quasi damnatus crimine ambitus habuerit Romae demorandi facultatem. Habuit enim secundum legem calpurniam. Nam superioribus *temporibus* damnati lege cornelia [23]) hoc genus poenae ferebant, ut magistratuum [24]) petitione per decem annos abstinerent. Aliquanto postea severior lex calpurnia [25]) et pecunia multavit, [26]) et in perpetuum honoribus iussit carere damna-

---

22) Cod. *conscientiam.*

23) Haec lex dicitur *baebia cornelia*, quia lata est a .P. Cornelio Cethego et .M. Baebio Tamphilo, qui consulatum gesserunt anno urbis DLXXIII. Eius legis meminit Liv. XL. 19. sed poenam reticuit, quam noster interpres expressit.

24) Cod. *magistratum.*

25) De hac lege ad orat. I. pro Cornel. [Tom. XVI. P. II. pag. 193. ed. Schuetz. Fr.] scribit Asconius: *tulerat eam ante biennium* (nempe anno urbis DCLXXXVII.) *.C. Calpurnius Piso consul, in qua, praeter alias poenas, pecuniaria quoque poena erat adiecta.* Legem hanc calpurniam memorat idem Asconius etiam ad orat. in toga candida. [Tom. XVI. P. II. pag. 213. ed. Schuetz. Vol. II. P. I. pag. 524. Orell. Fr.]

26) Cod. perspicue *multa fuit.* Sed recipio emendationem *multavit* cl. Garatonii in suis animadversionibus ad hunc scholiastam pag. 138. A. M. — Garatonii emendationem probat etiam Schuetz. et quis est quin probet? Prodita est autem illa emendatio in Gara-

tos. [27]) Habebant tamen licentiam Romae morandi. Postea, iam damnatis Sylla et Autronio, poenam de ambitu graviorem consules .C. Antonius et Cicero sanserunt, [28]) ut praeter haec veteribus legibus constituta, etiam exilio multarentur. [29])

Et locus est ipse non tam ad inflammandos calamitosorum animos, quam ad consolandos accommodatus.

Dicit neapolitanam civitatem procul fuisse ab omni contagio illius coniurationis; ac propterea delectam .P. Syllae, ut ibi non sceleratus lateret, sed miser conquiesceret.

Cap. VI. §. 18. Veniebat ad me, et saepe veniebat, Autronius.

Salubriter instititit huic parti; multis et inpensis precibus auxilium defensionis, [30]) commemoratis amicitiae veteris officiis, Autronium postulasse, multosque alios ad hoc impetrandum pro se deprecatores adhibuisse, nec tamen extorsisse ut patronus et defensor adsisteret: ne hoc dicere adversarius posset: idcirco Autronium non defendisti, quod non satis

---

tonii curis secundis ad Cic. orat. pro Plancio (Bononiae, 1815.) cuius orat. novam edit. Lipsiae 1825. ab Orellio emissam vide pag. 287. Fr.

27) Consonat plane Dio XXXVI. 21. poenas ab hac lege inflictas recensens: μήτ᾽ ἄρχειν μήτε βουλεύειν σφῶν μηδένα, ἀλλὰ καὶ χρήματα προσοφλισκάνειν. *ut neque magistratum gerere neque senatoribus esse liceret, et pecuniaria insuper poena inrogaretur.*

28) Ita cod.

29) Suam legem *de ambitu* commemorat Tullius pro Mur. 3. et 32. pro Sextio 64. in Vatin. 15. Eadem memoratur etiam a nostro interprete ad orat. pro Planc. 34. 1. [Tom. XVI. P. III. pag. 192. ed. Schuetz. Fr.] et a Dione XXXVII. 29. ad annum urbis DCXCI. his verbis: ἔδοξε τῇ βουλῇ δέκα ἐτῶν φυγὴν, τοῦ Κικέρωνος ἐς τὰ μάλιστα ἐνάγοντος, τοῖς ἐπιτιμίοις τοῖς ἐπὶ τῷ δεκασμῷ τεταγμένοις προσνομοθετῆσαι. *statutum est a senatu, Cicerone* (consule) *praesertim auctore, ut ambitus crimen, praeter constitutas iam multas, decennali insuper exilio plecteretur.*5

30) Verba duo *auxilium defensionis* omissa sunt in ed. Schuetz. itemque in ed. pr. Mediol., fortassis etiam in altera. Fr.

egerit, ut a te defenderetur. Sed si hoc impensissime deprecatus est, nec impetravit, videri iam potest idcirco ad defendendum Syllam venire, quod de eius innocentia certus sit.

CAP. VII. §. 21. QUOD TANDEM, TORQUATE, REGNUM? CONSULATUS CREDO MEI, IN QUO EGO IMPERAVI NIHIL.

Cumulaturus invidiam Torquatus in personam M. Tullii, [31]) et hoc dixerat: quodam illum spiritu velut regiae potestatis exposcere, ut Sylla innocens iudicetur. Itaque . . . . statim. . . . . [32]) *addit* consulatum suum talia edidisse moderationis et continentiae et virtutis exempla, ut non ipse rex, sed aliis regnum affectantibus esset inimicus. Qua exsecutione simul et invidia liberat auctoritatem suam, et impetrabilius facit quod ad Syllae victoriam [33]) locuturus est.

AN TU [34]) IN TANTO IMPERIO TANTAQUE POTESTATE NON DICES ME FUISSE REGEM, NUNC PRIVATUM REGNARE DICIS?

A maiore ad minus. Ut quod nunc privatus in defendendo reo innocentissimo faciat, non sit regiae superbiae sed fidei religiosae, qua non putet innocentes esse damnan-

31) Schuetz. *Tulli.* In ed. pr. Mediol. est *Tullii.* FR.

32) In his spatiis duorum ferme versiculorum evanuerunt litterae.

33) Cod. *ad Syllam victoriae.*

34) Sic cod. *tu.* At in edd. et aliquot codd. *tum.* A. M. — *Tu,* quod alii quoque praebent, praeferebat Graevius; id tamen ferri vix poterat, nisi priori loco pro *dicis* cum nostro cod., qui hanc lectionem solus servavit, legeretur *dices;* nec displicet *tantaque* pro vulgato *tanta.* Hunc igitur locum ex cod. Ambros. prope sanatum esse puto: *tum* ortum fortasse erat ex *tu me,* vel necessario credebatur opponendum adverbio *nunc,* cui tamen melius responderet *tunc; me,* quo aegre caremus, quum in aliis absorptum fuisset, a nostro Schol. collocatum est post *dices.* Vide igitur ne legendum sit: *An tu me, in tanto imperio, tantaque potestate non dices fuisse regem* cet. vel *An tum me* cet. ORELL. l. l. pag. 315.

dos. Nec cadat suspicio regiae cupiditatis in privatum senatorem, quae non oeciderit [35]) in consulem.

SI FALSUM DIXERIM, TE IN EOSDEM [36]) DIXISSE; SI [37]) VERUM, NON ESSE HOC REGNARE, CUM VERUM IURATUS DICAS, PROBARE. [38])

In altero *accusatio adversarii* est, in altero *sui defensio*. [39]) Aut invidiae mecum particeps, inquit, videberis, siquid [40]) in eo regaliter feci, quod in sceleratos homines testimonium dixi, quoniam et te in eosdem dixisse manifestum est; aut si fides et religio incorrupta in illis omnibus testimoniis fuit, non potest rex videri qui testimonio adserit veritatem. In parte igitur percussit Torquati verecundiam, in parte diluit regalis animi proprietatem.

§. 22. UTER TANDEM REX EST, IS NE CUI INNOCENTES HOMINES NON RESISTUNT, AN IS QUI CALAMITOSOS NON DESERIT?

Praemiserat enim Torquati propositionem valde insolentissimam, [41]) et liberae civitatis odio dignam: nisi tu defendisses P. Syllam, nemo defenderet. Cui statim in forma concessiva occurrit. [42]) Ut, inquit, alios concedam patrocinium denegaturos fuisse, in quem iustius derivabitur animi regalis cupiditas, in me qui protego innocentes, an in

---

35) Cod. *caeciderit.*

36) Edd. deterius *eos*. A. M. — Egregie Ambros. *eosdem* pro *eos*, quod totum locum obscurabat. ORELL.

37) Edd. melius *sin*. N.

38) His confirmatur vera lectio, ab Grutero ex Palatino nono restituta. FR.

39) Cod. sic: *in altero . . est in altero . . aut* etc. quae spatia replenda videbantur, ut fecimus. Porro noster interpres satis bene declarat hunc locum, qui recentiores criticos non parum torsit.

40) Cod. *siquit.*

41) Notanda dicendi ratio, qua *valde* iungatur cum superlativo. FR.

42) Cod. *in formam concessiva currit.*

te qui subveniendum non putas innocentibus? Non tantum ergo se liberavit, sed Torquatum multo acerbius proscidit.

At hic etiam facetus esse voluisti, cum Tarquinium et Numam et me tertium peregrinum regem esse dixisti.

Novitatem Ciceronis multi quidem per illa tempora contumeliis agitare voluerunt, [43] ut Catilina et Clodius, [44] et ipse, quamvis collega fuerit, C. Antonius. [45] *Nam quia* virtutibus obtrectare non poterant, eius humilitatem natalium maledica insectatione carpebant. Notissimum est autem fuisse Ciceronem natione vulscum Arpino municipio, unde illi quaedam peregrinitatis ab invisoribus concinnabatur infamia. Nec in praesentis causae iudicio Torquatus pepercerat, facta mentione regum peregrinorum Tarquinii et Numae. Fuerat enim Popilius [46] Curibus sabinis ortus: Tarquinius vero Priscus Demarathi [47] corinthi [48] filius, qui fugiens dominationem Cypseli, in Italiam se Tarquinios contulerat, ibique liberos procreaverat. Animadvertamus tamen quantis aculeis asperitatis tallionem M. Tullius referat hic Torquato, quem partim despiciendo plus abicit et hu-

---

43) Cod. *voluerint.*

44) Magnam de sua nobilitate opinionem et superbiam Claudiae familiae insitam testatur Tacit. ann. I. 4. *Tiberium Neronem, maturum annis, spectatum bellis; sed vetere atque insita Claudiae familiae superbia.* Eandem in Appio Pulchro P. Clodii fratre exagitat Cic. ad famil. III. 7.

45) De Catilina et Antonio confirmat Asconius ad orat. in toga cand. sub fin. [Tom. XVI. P. II. pag. 219. sq. ed. Schuetz. Vol. II. P. I. pag. 526. Orell. Fr.] *huic orationi Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt, quod solum poterant, invecti in novitatem eius.*

46) Sic etiam Schuetz. pro eo quod scribi debebat *Pompilius.* Idem paullo post scripsit *Demarati.* Cf. Interpp. ad Liv. I. 34. § 2. Fr.

47) Cod. *Demarthi.*

48) Ita cod. cum unica *i.*

millimum facit, partim maiore insectatur invidia, quod in exemplis maiorum illius hereat [49]) invidia tyrannidis. [50])

§. 23. Hoc dico, inquid, [51]) te esse e municipio. Fateor: et addo etiam ex eo municipio, unde iterum iam salus huic urbi imperioque missa est.

Magna cum gloria subdidit consensionem, amplectens municipii sui arpinatis egregiam nobilitatem; unde et .C. Marius extiterit bellorum maximorum strenuissimus victor; et ipse, cuius consulatus ad opprimendam Catilinae coniurationem salutaris inluxerit.

Nemo istuc .M. Catoni seni, nemo Tiberio Coruncanio, nemo Manio [52]) Curio.

.M. Cato ille censorius et .Tib. Coruncanius [53]) fuerunt e municipio tusculano. Manius porro Curius qui de Samnitibus triumphavit, Sabinis oriundus videtur; [54]) ubi etiam foculo adsidens aurum, quod sibi hostes optulerunt, repudiavit; confessus votum sibi esse praecipuum, non ut ipse opibus adflueret, sed ut pecuniosis hostibus imperaret. [55])

Cap. VIII. §. 25. Est enim ipse materno [56]) genere municipalis.

---

49) Sic cod. *hereat* sine diphthongo.

50) Intellige Manlium Capitolinum.

51) Ita cod. *inquid.*

52) Cod. *Mario* [ut X. inter Oxoniens. Fr.] at inferius *Manius*, quod verum Curii praenomen bis usurpat Plutarchus in Pyrrho [cap. 25. Fr.]; et diserte adserunt interpretes Aur. Victoris ad cap. 33. de vir. ill. Porro hoc Curii Dentati praenomen non in nostro tantum codice, sed in aliis multis veterum scriptis aut corruptum aut varium est. Vide ad Aur. Victoris locum citatum.

53) Cod. *.Teb. Conuncanius.*

54) De Curio e Sabinis oriundo manifestus scholiastae error est; siquidem constat, hanc gentem demum post Curii victoriam in civitatem esse receptam. N.

55) Idem de Curio narrant Cic. de senect. 16. Valer. Max. IV. 3, 5. Aurel. Vict. de vir. ill. 33.

56) Ante *materno* Sch. recte omittit praepositionem *a*, quae in

Quo sin totum destruere non potuit, ex parte destruxit. Nam familiae Manliae veteris egregia nobilitas eminebat, sed maternum genus humilitare [57]) conatus est: quasi non sit illi ad originem parentis utriusque dignitas vetustatis aequalis.

HONESTISSIMI GENERIS, SED TAMEN ASCULANI.

Asculum civitas est in Piceno, unde etiam principia belli socialis arserunt. [58])

NISI FORTE REGIUM TIBI VIDETUR ITA VIVERE. Et relicum. [59])

Decore et hoc cum sublimitate maximae [60]) laudis impletur: ea ostendens inesse moribus suis, [61]) quae non congruentia sed contraria sint regiae cupiditati.

CAP. IX. §. 26. EGO TANTIS A ME BENEFICIIS IN RE .P. POSITIS, SI NULLUM ALIUD MIHI PRAEMIUM AB SENATU POPULOQUE .R. NISI HONESTUM OTIUM POSTULAREM, QUIS *NON* [62]) CONCEDERET?

Gloriose in hunc locum decurrit orator laudibus suis plurimis demeritis [63]) erga rem publicam tribuens, quod

---

reliquis omnibus reperiri videtur. ORELL. l. l. pag. 315. — Bene se habet praepositio, quae respondeat Germanico *von Seiten*. FR.

57) Nota vocabulum *humilitare*. A. M. — Est etiam ubi legas *humiliare*, de quo vid. Nolten. in Lex. Antibarb. FR.

58) Rem narrat Appianus bell. civ. I. 38.

59) Cf. supra adn. ad §. 10. FR.

60) Cod. *maxime*.

61) Apud Schuetz. perperam positum colon est. FR.

62) Sic edd. [idque unice convenire sequentibus, *mihi liceret eius urbis* etc. recte iudicat Orell. l. l. pag. 316. FR.] Sed τὸ *non* abest a codice. Et clausula quidem fragmenti gracchani favet codicis lectioni. A. M. — Miro iudicio usus Maius negationis omissionem haud improbavit, haec addens: *Et clausula quidem — lectioni.* Quibus quidem satis demonstrat vulgarem illam formulae *haud scio an* significationem sibi adhuc esse ignotam. ORELL.

63) Maius in ed. pr. post pronom. *suis* posuerat comma, (sic etiam Schuetz.) hac addita adnotatione: „Nota nomen substantivum,

tantis iam perfunctus periculis honeste posset ab omni labore requiescere, nisi animus nullo posset otio consenescere. Et hic, quantum mea opinio est, imitatus est .C. Gracchum.[64]) Sic enim et ille DE LEGIBUS PROMULGATIS, [65]) ut ipsius etiam verborum faciam mentionem:

SI VELLEM, inquit, APUT VOS VERBA FACERE, ET A VOBIS POSTULARE, CUM GENERE SUMMO ORTUS ESSEM, ET CUM FRATREM PROPTER VOS AMISISSEM, NEC QUISQUAM DE .P. AFRICANI ET TIBERI GRACCHI FAMILIA, NISI EGO ET PUER RESTAREMUS, [66]) UT PATEREMINI HOC TEMPORE ME QUIESCERE, NE A STIRPE GENUS NOSTRUM INTERIRET, ET UTI ALIQUA PROPAGO GENERIS NOSTRI RELI-

---

„ut videtur, *demeritum.*" Sed in ea quam expressi ed. comma deletum et omissa adnotatio est. Mihi sic scribendum videbatur: *laudibus suis plurimisque meritis.* FR.

64) Huius oratoris laudes magnifice persequitur Cicero in *Bruto* 33. itemque Dio fragm. peiresc. XC. et Plut. in Gracchis. [Vid. C. Gracch. cap. 1. et cf. Ellendt. Hist. Eloq. Rom. pag. XXXIX. sqq. FR.] Tum .C. Gracchum pleniorem uberioremque Catone sene dicit auctor dialogi de caussis corruptae eloquentiae 18. a quo tamen dissentit Gellius X. 3. Ingeniosissimus et eloquentissimus Romanorum dicitur a Cicerone pro Fontei. 13. item laudatur de harusp. resp. 19.

65) Orationem Gracchi *de legibus promulgatis* memorat Gellius IX. 14. et X. 3. aliquot eius fragmentis prolatis. Citat eandem orationem etiam Festus voc. *ostentum.* Haec tamen particula, quod sciam, adhuc erat inedita.

66) Tib. Sempronius Gracchus de Cornelia .P. Africani maioris filia duodecim suscepit liberos: sed tanta soboles mature cum patre vita functa est, excepta filia, quam Scipio Africanus minor uxorem duxit, et filiis duobus Tiberio et Caio. Occiso in tribunatu Tiberio, solus e masculis superfuit frater Caius cum Tiberii filiolo, de quo Gell. II. 13. in fine. (Sed tamen Val. Max. IX. 7. 2. tres ait fuisse Tib. Gracchi filios.) Atque hunc puerum fortasse heic commemorat Caius. Ceterum Plutarchus in Gracchis [C. Gracch. cap. 15.] narrat, ipsi etiam Caio fuisse filiolum, quem nimirum uxor Licinia manu tenebat, cum viro occurrit ad eam dimicationem prodeunti, in qua miserrime periit.

QUA ESSET; HAUD *SCIO* [67]) AN LUBENTIBUS A VOBIS IMPETRASSEM.

§. 28. ETENIM IN QUA CIVITATE REM TANTAM [68]) GESSERIM MEMINI, IN QUA URBE VERSER INTELLEGO. PLENUM FORUM EST EORUM HOMINUM, QUOS EGO A VESTRIS CERVICIBUS DEPULI, IUDICES, A MEIS NON REMOVI.

Figura [69]) quidem in orationibus plurimis frequentata Ciceroni, qua velut divino quodam mentis instinctu imminentem sibi providebat invidiam, et ex ea periculum quod evenit. Verum mihi altius consideranti hanc omnem quam localiter intulit *figuram* [70]) occurrit vehemens, et ad causam .P. Syllae salubriter pertinens virtus. Nam cum in praesenti executione testetur, extinctis iam plurimis hostibus patriae, superesse tamen innumerabiles qui sibi nocere votis ardentibus cupiant, hoc sine dubio relinquit iudicum tacitis cogitationibus, numquam se ad defendendum Syllam processurum fuisse, si eum vel tenui aliquo argumento sensisse cum hostibus rei .p. suspicaretur, cui minuendus esset illius coniurationis numerus, ne plures in posterum sibi reservaret [71]) inimicos.

CAP. X. §. 31. QUOD CUM IS TRIBUNOS [72]) .PL. FACIT, QUI UNUS VIDETUR EX ILLIS AD LUGENDOS CONIURATOS RELICTUS, NEMINI MIRUM EST. [73]) DIFFICILE EST ENIM TACERE CUM DOLEAS.

---

67) *Scio* ipse supplevi.

68) Vulgo *res tantas*, sed illud h. l. non deterius. Ante *in qua urbe* Sch. omittit *et*, ut C. Oxon. ORELL. l. l. pag. 316.

69) Spatium in codice, quod replevi verbo *figura*.

70) Iterum spatium, quod replevi ut supra.

71) Codex *reseret*.

72) Archaismus pro *tribunus*. Sic pro Scauro *solitodo* pro *solitudo*.

73) In loco lectionis admodum incertae, ubi nunc editur *nec* (i. e. haud) *mirum est*, perspicuam et fortasse veram lectionem *nemini* Sch. solus exhibet. ORELL. l. l. pag. 316.

Insectatur invidia maiore Torquatum: et cum sit ab illo ipse reprehensus, quasi mutato proposito voluntatis, qui Catilinae oppresserit coniurationem, reis tamen eiusdem criminis patrocinetur; versa quodammodo vice ipsum Torquatum quasi defensorem coniurationis insimulat, et dicit imitari eum tribunum .pl. qui moleste poenas hominum publicorum [74]) ferat. Significat videlicet .L. Calpurnium Bestiam, [75]) sive (nam et hoc suspicari possumus) .Q. Metellum Nepotem. [76]) Post quod exemplum in fine sententiam posuit, quod genus in tullianis orationibus rarum est. Difficile est, inquit, tacere cum doleas: dolor enim quibusdam tormentis animi laborantis effusus, ad impatientiam vocis erumpit.

Cap. XI. §. 32. Qui filium suum vita privavit, ut in ceteros [77]) firmaret imperium.

De familia Torquati mutuatur exemplum, quo validius [78]) ad consensum adigeretur, puniendos a re .p. fuisse

---

74) Nempe reorum crimine maiestatis. Confer digest. lib. XLVIII. tit. I. leg. 1.

75) L. Calpurnius Bestia recensetur a Sallustio inter coniuratos cum Catilina. Huic Bestiae tribuno .pl. mandatum erat a Lentulo item coniurato, ut Romae concione habita, quereretur de actionibus Ciceronis. Vid. Sallust. bell. Catil. 17. et 44.

76) Q. item Metellum Nepotem de coniuratorum poena conquestum refert Dio XXXVII. 42. Immo idem Metellus tribunus Ciceronem consulatu abeuntem concionem habere prohibuit, atque ei tantum ut iuraret vetere more permisit. Vid. Plutarchum in Cicerone [cap. 23.] et Dionem lib. cit. cap. 38. tum Asconium ad orat. in Pis. 3. [Tom. VIII. P. I. pag. 516. ed. Schuetz. Fr.] Contra Metelli concionem, qui Ciceronem apud populum maledictis prosciderat, extant ipsius Tullii fragmenta orationis, quae videsis in editionibus. [ap. Orell. Vol. IV. P. II. pag. 455. sq. Fr.]

77) Edd. *in ceteris*. A. M. — Sed illud (*in ceteros*) tam antiqua nunc auctoritate fultum longe praestat. Sic Orell. l. l. pag. 316. Num praestet, equidem dubito. Cf. Kritz. ad Sallust. Catilin. cap. 9. §. 2. Fr.

78) De comparativo hoc vid. adn. mea ad Quinctilian. X. 3. §. 12. cf. Schmid. ad Horat. Epist. I. 9. vs. 6. Fr.

hostes intra moenia deprehensos, cum per contextum sui generis recordetur [79]) extitisse qui filium capite puniret. Et hoc in loco Manlium significat qui cum P. Decio functus est consulatum. *Hic* ex virtute cognomen Torquati habuit, quod uno de Gallis hostibus interfecto, torquem sibi velut spolium superati hostis induerat. Ab hoc comperimus filium non ob aliquod criminosum, sed gloriosum et militare facinus, interemptum; quod contra patris imperium cum hoste, quamvis feliciter, dimicasset. [80])

CAP. XII. §. 34. ATQUE ETIAM ILLUD ADDAM, NEQUI [81]) FORTE INCIPIAT INPROBUS SUBITO TE AMARE, TORQUATE.

Ista dicit insidiosa quadam benignitate perstringens adversarium.

CAP. XIII. §. 36. AB [82]) ALLOBROGIBUS NOMINATUM SYLLAM ESSE DICIS. QUIS NEGAT? SED LEGE INDICIUM, ET VIDE QUEMADMODUM NOMINATUS SIT.

Facta ab indicio Allobrogum et [83]) . . inlata propositio, ne [84]) sensio [85]) in contrarium vergeret, vigilantissime [86]) . .

---

79) Cod. *recordatur.*

80) Confer Livium VIII. 7.

81) *Nequi* pro *nequis* evidenter habet noster codex. Sic paulo infra XIII. 4. [§. 39.] *aliqui* pro *aliquis* semel Cic. et semel interpres. Itidem ad orat. pro Plancio 28. 2. [Tom. XVI. P. III. pag. 189. ed. Schuetz. FR.] *siqui* pro *siquis* scribit interpres. Quare haud scio quo iure Forcellinus ad voc. *aliqui*, locorum omnium, qui pro hac sententia adferuntur, incertam lectionem pronunciet. A. M. — Vid. Matth. ad orat. pro Sextio §. 131. FR.

82) Recte in codice additur praepositio *ab*, quae deest in editionibus.

83) Spatium unius brevis vocabuli.

84) Nisi mavis legere *propositione sensio*, aut putare omissum alterum *ne*, ita ut esset *propositione ne sensio.* Cl. Niebuhrius suspicabatur corrigendum esse *propositione sensim in contrarium vergens.*

85) Nota nomen *sensio* pro *sententia*, ut in Isidori glossario.

86) Spatium duorum vocab.

ipsius indicii modum tractare adgressus est, et ostendere [87]) quaesisse Gallos de .L. Cassio Longino quemadmodum Sylla esset animatus. Et hoc eos fecisse, non quo de eius moribus et proposito voluntatis aliquid audissent, sed quod facta mentione .P. Autronii, quem consortem fuisse praecedentis illius de ambitu damnationis audierant, existimassent aliquid etiam de coniuratione quaerendum. Deinde vincenter [88]) subicit responsum Cassi illud unum respondentis, nihil se de .P. Sylla scire pro certo. Ibidemque statim, quod nos a pari dicimus, defensionem complectitur, dicens huiusmodi responsum Cassi [89]) pro eo habendum atque si negasset .P. Syllam sceleris huius esse participem: quoniam is qui de omnibus instructissimus fuerit, de hoc ideo nihil scripserit, [90]) quod Sylla innocens esset.

Si respondisset idem sentire et secum facere Syllam.

Ad formam concessivam revocans argumentationem, etiamsi [91]) quaerentibus Gallis respondisset .L. Cassius .P. Syllam huius initi [92]) contra rem .p. sceleris esse participem, valere non debuisse pro crimine; quod *) facile crederetur illum, quo spem robustiorem Gallis daret, de nobi-

---

87) Cod. *et ostendens.*

88) Nota adverbium *vincenter.* A. M. — Idem legitur in antiquo commentar. ad orat. pro Mil. cap. 18, 2. pag. 118. ed. Maii. Fr.

89) Cod. *cassum.* [quod ipsum in ed. pr. Maius retineri fortassis posse existimabat. Fr.]

90) Ita cod. *scripserit,* sed ex praecedentibus videtur corrigendum *scierit.*

91) Cod. *etiam.* A. M. — Istam vero Codicis lectionem iure repudiavit Maius. Neque enim carere h. l. possumus conditionali particula. Cf. quae scripsi in Observatt. Critt. in quosd. locos Quinctiliani pag. 19. **) et ad Rutil. Lup. II. §. 17. pag. ed. meae 178. Fr.

92) Cod. *initii.* Confer pro Plancio IX. 1. [ubi quum Cod. praeberet *initium* (quod retinuit Schuetz. Tom. XVI. P. III. pag. 177. vs. 3.) Maius edidit *initum.* Fr.]

*) Schuetz. *quando.* Idem legitur in ed. Mediol. pr. Fr.

lissimo viro non dubitasse mentiri. Quae *concessio* [93]) multum proficiet [94]) ad illud quod negaverat Cassius se comperisse quid animi Sylla haberet, ut tale genus responsionis absolute purgaverit innocentiam.

§. 37. NISI FORTE VERISIMILE EST .P. SYLLAE NOMEN IN MEMORIA CASSIO NON FUISSE.

Verisimilia contrahit argumenta per qualitatem personae, quam gentis *) nobilitas inlustrabat, ut se etiam non quaerenti Cassio potuerit efferre, [95]) nec tamen aliquid ille se dixerit comperisse.

§. 39. SED EGO IN QUAESTIONIBUS ET INDICIIS [96]) NON HOC QUAERENDUM ARBITROR NUM PURGETUR ALIQUI, SED NUM ARGUATUR.

Et perquam exercita**) respondendi facultate propositioni accusatoris occurrit, non illud expectandum in indiciis an defensus sit aliqui, [97]) sed an nominatus; quoniam videri possit etiam stulta defensio id quod non accusetur, velle purgare.

CAP. XIV. §. 40. EXCLUSUS HAC CRIMINATIONE TORQUATUS RURSUS IN ME INRUIT, ME ACCUSAT: AIT ME ALITER

---

93) In codice vel spatium unius vocabuli est vel oblitteratio. Supplevi *concessio* ex praecedentibus.

94) Schuetz. *proficit*, quod legitur etiam in ed. pr. Mediol. FR.

*) Schuetz. *generis*, quod est etiam in ed. Mediol. pr. FR.

95) Corrigit *offerre* N.

96) Sic *indiciis* hic et infra, non vero *iudiciis*, quam nostram lectionem alii etiam codd. confirmant. A. M. — Confirmat igitur Lambini lectionem e coniectura Stephani et uno cod. derivatam *indiciis*; quae mihi quoque verior videtur. Difficilior est quaestio, uter praeferendus sit ordo verborum. ORELL. l. l. pag. 316. Mihi praestare vulgata *in iudiciis et in quaestionibus* videtur. Namque *iudicia* sunt generale, speciale *quaestiones*. FR.

**) Schuetz. *exercitata*; et sic ed. pr. Mediol. FR.

97) Cod. *aliquid*, sed deleta ab ipso amanuense littera *d*. Quare remanet *aliqui* pro *aliquis*, ut paulo ante. [§. 34.]

AC DICTUM SIT, [98]) IN TABULAS PUBLICAS RETTULISSE. O DII INMORTALES! Et relicum. [99])

Iuxta [100]) dignitatem personae in excessum locus totus effunditur cum indignatione vehementi. Fit enim coniectura incidens an .P. Syllae nomen subtraxerit Cicero, et id egerit ne in tabulas publicas referretur. Non debuit ergo humiliter et timide hanc defensionem, sed cum impetu flagrantissimae indignationis implere, quasi monstri simile sit, in tanto consule aliquid potuisse fraudis existere. Hae sunt defensiones quae in personis inlustribus, quendam spiritum laudis imitantur.

§. 41. 42. INSTITUI [101]) SENATORES QUI OMNIA INDICUM DICTA, INTERROGATA, RESPONSA PERSCRIBERENT. AT QUOS VIROS? NON SOLUM SUMMA FIDE, SED ETIAM QUOS SCIEBAM MEMORIA SCIENTIA CELERITATE SCRIBENDI FACILLIME QUAE DICERENTUR PERSEQUI POSSE.

Ad diluendam quaestionem, quae, ut diximus, incidens nata est, an falsum consul in tabulas publicas*) rettulerit, inferuntur haec exempla validissima, quod ad scribendum omne, quod indices pronuntiarent, idoneos admoverit senatores. Et vigilanter duo illis praecipua, et quae ad strumentum [102]) fidei necessaria sunt, adscribit, animi integritatem et velocitatem scribendi, ut fides non deceperit veri*tatem* . . . . . . conversus.

CAP. XXXII. §. 91. O MISERUM INFELICEM ILLUM DIEM!

---

98) Hoc *sit* recepit Orell. utpote quod grammaticis certe legibus magis conveniret quam *est* vulgatum. Sed *est* bene tuetur Matt. Vid. supra pag. 78. FR.

99) Cf. supra adn. ad §. 10. FR.

100) Cod. *iusta.*

101) *Institui* pro *constitui* apertum esse mendum ait Orell. pag. 137. FR.

*) Voc. *publicas* omisit Schuetz. FR.

102) Notabile hoc *strumentum* fidei. FR.

Oratorie deplorat etiam illud tempus, quo damnatus est ambitus crimine, [103] ut in eo desinat invidiosus esse, in quo miserandus existimetur.

CAP. XXXIII. §. 92. VOS REIECTIONE [104] INTERPOSITA, NIHIL SUSPICANTIBUS NOBIS, REPENTINI IN NOS IUDICES CONSEDISTIS, AB ACCUSATORIBUS DELECTI AD SPEM ACERBITATIS. Et relicum. [105]

Sensus quidem multae obscuritatis est, cuius intellectus sic aperietur. Per illud tempus cum esset alius praeter Syllam reus, qui causam de vi lege plautia [106] diceret, omni labore conisus est .L. Torquatus, ut ante iudicum reiectio [107] fieret ad eam cognitionem, quae de illo quoque futura erat, qui huiusmodi reatu petebatur. Et hoc nimirum eo consilio et ea calliditate peregit, ut melioribus et iustioribus ad illam causam iudicibus electis, qui superessent inmitiores et asperi iudices, quique ab illorum numero fuissent reiecti, de .P. Sylla iudicarent, pro naturae suae videlicet asperitate hunc vel innocentem damnaturi. De reo metuens orator in orationis exitu praecavet [108] et invigilat, ut iudicibus, quorum asperitatem metuit, incutiat verecundiam prius quam ad ferendas sententias eant: ut metuentes

---

103) De Sylla crimine ambitus damnato vide Asconium ad orat. I. pro Cornel. et in toga candida. A. M. — Ed. Schuetz. Tom. XVI. P. II. pag. 199. (ubi male scriptum *Antonium*, pro quo debebat *Autronium*) et pag. 213. sq. Vol. II. P. I. pag. 524. Orell. FR.

104) Recte cum Barber. et ed. Iunt. Scholiast. omittit *et* ante voc. *reiectione*. ORELL. l. l. pag. 317.

105) Cf. supra adn. ad §. 10. FR.

106) De hac lege sic Iulianus digest. lib. XLI. tit. 3. leg. 33. ff. 2. *Lex plautia et iulia ea demum vetuit longa possessione capi, quae vi possessa fuissent; non etiam ex quibus vi quis deiectus fuisset.*

107) De iudicum reiectione loquitur Asconius ad act. I. in Verr. VI. iterum in Verr. de praet. urb. II. [Tom. V, pag. 277. et 300. ed. Schuetz. FR.] et in argumento milonianae.

108) Cod. *praecadet*.

invidiam nimiae duritiae, si reum poenae addixerint, iam pro illo sentire cogantur. Et ne hoc ipso tamen animos eorum laederet, communicavit fortunam temporis sui et consulatus, in quo et ipse contraxerat quasi nimis acerbae severitatis invidiam; [109]) dicitque in commune omnibus consulendum, ut severitatem nimiam, quam temporis necessitate susceperint, praesenti humanitate mitificent.

Explicit Oratio.

---

109) Invidiam et pericula, in quae incurrerat ob severum iudicium de coniuratis exercitum, commemoravit ipse Cicero superius in hac oratione IX. 2. [§. 28.]

VARIAE LECTIONES
IN
CICERONIS ORATIONE
PRO
P. SULLA
EX EDITIONE GRAEVII DEPROMPTAE

Cap. I.

Splendorem obtinere. MSS. *splendorem obtineret.*

Redomiti atque victi. Sic MSS. Sed edd. Victor. Manut. Lambin. *edomiti atque victi.*

Si mea solum interesset. Pith. non agnoscit *interesset.*

De mea auctoritate deripuisset. Franc. et alii MSS. et edd. *de mea auctoritate diripuisset.*

De huius praesidiis deminuturum. Franc. et alii MSS. et edd. *de huius praesidiis diminuturum.*

Deminuturum: sic hoc ego sentio. Franc. prim. et Dresd. *deminuturum sperat, sic hoc ego sentio.* Sed in secundo et Pith. ut et ed. prima non legitur *sperat*, uti nec in novem Palatinis. Quidam editi: *deminuturum speravit: sic hoc ego sentio.*

Ornatissimi viri. Alii: *ornatissimi civis.* Sed id non extat in utroque Franc., Pith. et Dresd. nec in edit. prima.

Gravius esse iudicium. Dresd. *gravius est iudicium.*

Qui deserendus. Haec verba non leguntur in Pithoeano codice.

Cap. II.

Tam patet Hortensio. MS. et ed. Lugdun. *tam paret Hortensio.*

Celebrari hoc iudicium, ornari caussam, defendi huius innocentiam. Editiones Victor. Manut. Lamb. et ceterae plurimae: *celebrari hoc iudicium et ornari, causam defendi huius innocentis.* Sed Franc. prim. *celebrari hoc iudicio ornari, causam defendi huius innocentis vides?*

Quorum opera ego. Franc. prim. *quorum auxilio ego.* Sed alia manus, antiqua tamen, minoribus litteris *auxilio* superscripserat *opere.* Sic Dresdensis in ipso contextu. Pith. *quorum ego in illum locum.* Franc. sec. et ed. prima: *ope quorum ego.*

Quis P. Lentulum? quis M. Laecam? Plerique MSS. et Grut.

ed. *quis P.? quis M. Leccam?* Francii secundus, Pith. ac edit. prim. *quis Publium? quis M. Leccam.*

Si necessarii sunt, deserendos esse non putant. MSS. plurimi: *si necessarii sunt, defendendos esse non putant.* Edd. Mediolan. Victor. Manut. et Lamb. et aliae: *si necessarii sunt, non defendendos esse non putant.* Et sic videtur fuisse in Pithoeano. Sed in editione prima et Franc. secundo: *si necessarii sunt, defendendos esse putant.*

Quem obstrictum esse patriae parricidio suspicere. MSS. et edd. *quem obstrictum esse patriae suspicere.* Edd. quaedam vetustiores: *quem obstrictum esse patrique suspicere.*

Non modo non occultari. Pal. non. *non modo occultari.*

Cap. III.

Intelligis afuisse. Sic ubique libri veterrimi, recentiores: *intelligis affuisse.* Edd. *intelligis abfuisse.*

Me asperum, me inhumanum. In Pith. abest *me asperum.*

Tum tempus. Pith. *tu tempus.*

Nihil erit, quod admirere posthac. Dresd. *Nihil est quod mirere.*

Fuit magis mihi proprium. Pith. *fuit magis improprium.*

In Autronium testimonium dixisti. Dresd. *Iam in Autronium testimonium dixisti.*

Sullam defendis. Pith. *Sullam defendas.*

Testimonio laesum esse Autronium. Dresd. *testimonium esse laesum Autronium.*

Ad defendendas causas. Dresd. *ad offendendas causas.*

Cap. IV.

Lepido et Volcatio Coss. Edd. *Lepido et L. Tullo Coss.*

Quod mea me ambitio et forensis labor ab omni illa cogitatione abstrahebat. Dresd. *quod mea ambitio et forensis labor ab omni illa cogitatione abstrahebatur.* Uterque Francii: *quod mea ambitio et f. l. a. o. i. c. abstrahebat.* Alii: *quod me ambitio et f. l. a. o. i. c. abstrahebat.*

Quis ergo intererat. Dresd. *Qui ergo intererant.*

Summam familiaritatem. Pith. *suam familiaritatem.*

Summumque amorem. Dresd. *summumque honorem.*

In huius periculo. Pith. *in hoc periculo.*

Cap. V.

Nulla suspicio. MS. *nulla denique suspicio.*

Magnitudine animi vindicasset. MS. Pith. *magnitudine animi indicasset.*

Autronio afuerim. Al. *Autronio abfuerim.*

Cornua, tubas, falces. Prim. Franc. *cornua, tabulas, falces.* Al. *cornua, tubas, fasces.* Al. *cornua, tubas, faces.*

Cap. VI.

Mihi ipsi fecerat. Al. *mihi ipse fecerat.*

Liberorum meorum trucidaret. MS. Dresd. *liberorum meorum tracturet.*

Marcellos, pro huius periculis lacrymantes adspicere, neque huius. Sic Grut. ed. ex MSS. duobus optimis. Alii MSS. et edd. *Marcellus, neque huius.*

Misericordiae meae repugnavit. Pith. *misericordiae repugnavit.*

Nullum indicium, nulla suspicio. Suscepi. Sic ex duobus MSS. Grut. Sed in aliis MSS. et edd. non est: *nulla suspicio.*

Suscepi causam, Torquate. Non leguntur in Pith.

Cap. VII.

In quo ego imperavi nihil, sed contra patribus. Pith. *in quo ego imperavi et contra patribus.* Dresd. *in quo ego imperavi pluribus consulibus, et bonis omnibus parui.*

Sed non permissum. Francii primus cum Pall. et aliis MSS. *sed permissum,* quamvis alia manus adpinxerit particulam negandi. Pith. *Sed ꝑmissum.*

An tum in tanto imperio. Franc. sec. et ed. prima: *An tu in tanto imperio.* Edd. *Quem tum in tanto imperio.*

De testimoniis meis hoc respondeo. Dresd. *de testimoniis meis hoc respondebo.*

Cum verum iuratus dicas probare. Prim. Francii *cum vera iuratos dicas probare.* Dresd. *cum vero iuratos dicas probare.*

De huius spe tantum. Pith. *De huius spectatum.*

Indicta causa profugisset. Dresd. *indicta causa profuisset.*

At hic etiam. Franc. uterque, Dresd. et edit. prima: *An hic etiam.*

Hoc dico, inquit, te. Pith. *Hoc, inquit, te.*

Ti. Coruncanio. Plerique edd. *T. Coruncanio.* Al. *T. Coruncano.*

Multi inviderent, obiecit unquam. Pith. *multi obiecit unquam.*

In quem tu, cum cuperes. Pith. *in quem tum cum cuperes.*

Cap. VIII.

Ac si tibi nos peregrini. Edd. *At si tibi nos peregrini.*

Suffragiis obruare. Pith. *suffragiis obviare.*

Ex somno saepe excitabunt. Dresd. *e somno saepe excitabunt.*

Ac si iudices. Edd. *At si iudices.*

Asculani. Dresd. *Esculani.*

Me meum ante non ponere. Edd. *me meum non anteponere.*

Neque me peregrinum. Dresd. *nec me peregrinum.*

Ne gravius refutere. Dresd. *ne gravius refutem.*

Cap. IX.

A Senatu Populoque Romano. Pith. et Franc. prim. *a S. P. Q. R.*

Non modo rerum gestarum va-

catio. Pith. *non modo non rerum gestarum vacatio.*

Vindicat a labore. Sic Franc. secund. et P. Manutii editio. Ceteri MSS. et edd. *vendicat a labore.*

Tamen hoc regnum appellabitur. Al. *tamen ne hoc regnum appellabitur?*

Longe abest regni suspicio. Sic MSS. sic edd. veteriores. Lambini ed. *Longe abest ab eo regni suspicio.* Gruterus in Pal. nono et Thuringicis reperit: *Longe abest a me regni suspicio.*

In qua urbe verser intelligo. MSS. et edd. pleraeque omnes: *in qua urbe intelligo.*

Cap. X.

Videntur, quod omnes. Pith. *videntur omnes boni.*

Furorem consceleratum. Dresd. *furorem sceleratum.* Pith. *furorem non sceleratum.*

Quae leviter dixerat. Lamb. ed. *quae leniter dixerat.*

Si quid eiusmodi facis. Dresd. *si quid huiusmodi facis.*

Vehementer admiror. Edd. *vehementer miror.*

Cap. XI.

Quam ego defugiam auctoritatem. Edd. *quam ego non defugiam auctoritatem.*

Quinque hominibus comprehensis atque confossis. Sec. Franc. et ed. prim. *quinque hominibus apprehensis atque confessis.* Ultimum habetur in aliis multis libris.

Sine internicione. P. Manut. ed. *sine internecione.* Al. *sine interitione.* MSS. Franc. uterque, Dresd. ed. prima: *sine interemtione.*

Haec iniuratum in iudicio. Franc. sec. et ed. prim. *haec iuratum in iudicio.* Pith. *iuratum in iudicio* sine *haec* et *in.* Dresd. *hec iuraturum in iudicio.*

Cap. XIII.

Quis negat? sed lege indicium, et vide. Edd. vulgg. et MSS. multi: *Quis negat Sullae indicium? At vide.* Lamb. ed. *Quis negat? At vide.* Franc. sec. *Quis negat? Sullae inditium et vide.* Sed eius prim. *Quis negat Sullae indicium? et vide.*

Dixerit Cassius? nusquam sese aiunt quaesisse de Cassio quid Sulla sentiret. Videte diligentiam Gallorum. Edd. *Quaero num Sullam dixerit Cassius. Nunquam sese aiunt quaesisse de Cassio, quid Sulla sentiret.* Distinctionem codicis Thuringici et Palatini, quam cum Zinzerlingio et Grutero sequimur, firmat Francii primus. Sed *nunquam* retinet, uti et eius secundus.

Ac tantum audissent, eos pari calamitate esse, quaesiverunt, essent ne eadem voluntate. Edd. et MSS. varii: *ac tantum audissent, eos, pari calamitate qui fuerant, esse in eadem voluntate.*

Non respondit tamen una facere Sullam. Dresd. *Non respondit tum una facere Sullam.*

Si afflicta fortuna. Dresd. *si affacta fortuna.*

Huius in mentem venire potuisset. Franc. prim. sec. Dresd. *huius nomen in mentem venire potuisset.*

Non purgat, inquit. Pith. MS. *Non pugnat, inquit.*

In iudiciis et in quaestionibus. Lamb. et nonnullae aliae edd. *in indiciis et in quaestionibus.*

Cap. XIV.

Possum meo tantum ingenio. Dresd. et uterque Franc. ed. prim. et Mediol. *possum tanto ingenio.*

Ut tot res, tantas, tam varias. Dresd. *ut tot res, tam varias.*

Mea sponte dispexerim. Franc. sec. et edd. vett. *mea sponte despexerim.*

Ad unam salutem reip. convertistis. Edd. et MSS. *ad unam salutem reip. contulistis.*

Erroris et inscientiae. Quaedam et vetustiores, *erroris et insciliae.*

Omnia indicum dicta. Pith. *omnia indicii dicta.*

Qui tunc erat Praetor. Franc. uterque, Dresd. *qui tum erat Praetor.*

Credo esse neminem. Pith. et Dresd. *Credo esse memorem.*

Qui his hominibus ad vere referendum aut fidem putet, aut ingenium defuisse. Edd. pleraeque omnes: *qui his omnibus aut vere referendis, aut etiam scribendis putet ingenium defuisse.* Franc. prim. *qui his omnibus vere referendis haud putet ingenium defuisse.* Puncta τῷ *haud* subiecta notant vocem esse delendam. Pith. et Dresd. et Franc. sec. *qui his omnibus aut vere referendis, aut putet ingenium defuisse.* Ed. Gruter. *qui his hominibus ad vere referendum, aut etiam scribendum, aut fidem putet, aut ingenium defuisse.*

Cap. XV.

Dividi passim et pervulgari. MS. *dividi passim et divulgari.*

Divisi toti Italiae. Pith. *divisi totae Italiae.*

Emisi in omnes provincias. MSS. et edd. *divisi in omnes provincias.*

Populi Romani nomen sit. Pith. et Dresd. *rei p. nomen sit.*

In quo ego tam subito. Dresd. *In quo ego tamen subito.*

Edituri indicium fuerint. Sic MSS. et Lamb. ed. Vulgati: *edituri fuerint indicium.*

Cur tacuisti? Dresd. *tacuisti?*

Cum familiari meo questus es? In Pith. abest *questus es.*

Iracundius aut vehementius. Dresd. *iracundius ac vehementius.*

Rem enuntiare audeas? Pith. *rem enunciare vel?*

In eum locum te deducas. Pith. *in eum locum cum te deducas.*

Tuo indicio convictum. Lamb. et Grut. edd. nec non quidam MSS. *tuo iudicio convictum.*

Cap. XVI.

In me potissimum consulem pu-

tarem. MS. et Gruter. ed. *in me potissimum consulem constitutas putarem.*

Nisi tibi aliquem modum. Franc. prim. *ni tibi aliquem modum.*

Tute constituas. MSS. et edd. *vitae constituas.*

Quem non praeverterim. MSS. et Lamb. ed. *quem non perverterim.* MS. *quem non praeverterim ac perfregerim.* Al. *quem non pertulerim ac perfregerim.*

Id a me esse amissum. Edd. et MSS. *id a me esse omissum.*

Cap. XVII.

Cur tibi quoque ipse non succenseo. Uterque Franc. Dresd. et ed. prim. *quid tibi quoque ipse non succenseo.*

Defendo meum. A Dresd. abest *meum.*

De quo nihil est unquam suspicatus. MSS. et edd. *de quo nihil est suspicatus.* Dresd. *de quo nihil est suspicatum.*

Multa cogitavit. In Dresd. margine: *multa cognovit.*

Nec defendere quem velis. MSS. et edd. *ac defendere quem velis.*

An istud tibi, intelliges. MSS. et edd. *an tibi, intelliges.*

At vero cum honos agebatur. MSS. et edd. *An vero cum honos agebatur.*

Et defenderent et laudarent. MSS. et edd. *et defenderent, et laudarent?*

Cap. XVIII.

Quid est, quod iam ab eo expetas? Dresd. et Pith. *Quid est, quod iam ab eo expectas.* nisi quod ille cum editis veteribus rectius *ab hoc.*

Ad de delata sunt. In Pith. non habetur *sunt.*

Ornatus exuviis huius. MS. *ornatus eximiis huius.* Edd. *ornatus aerumnis huius.* Pith. *tu ornatus eripius.* Franc. sec. *tu ornatus exumnis.*

Ne reprehendo quidem. Franc. prim. *neque reprehendo quidem.*

Officii iudicem posuisse. MS. *officii tui iudicem posuisse.*

C. Cornelii filius. Franc. prim. *Cornelii filius.*

Solet esse indicio. MSS. et edd. *solet esse in indicio.*

Sin tu ais illum comitatum. Franc. uterque, Pith. et prim. ed. *sin ut ais illum comitatum.*

Ad hoc adumbratum indicium filii. Edd. *ad hoc adumbratum indicium filium.*

Provinciam depoposcit. Pith. *provinciam deposcit.*

In meo lectulo. Pith. *in meo lecto.*

Cap. XIX.

In illis regionibus, quo se Catilina inferebat. MSS. et edd. *in illis legionibus, quo se Catilina inferebat.* Sed pro *inferebat* multae edd. *referebat.*

In ea parte Italiae. Quidam MSS. *ea parte Italiae.*

Arrepta est familia. Lamb. ed. *At empta est familia.* Franc. prim. *Abrepta est familia.*

Iniquorum invidiae, sed et ae-

quorum. Franc. Dresd. al. MSS. *iniquorum invidia esset aequorum.*

Quod praefuit nihil. Pith. Dresd. Franc. secund. *quod profert.*

Per Balbum Fausti. MSS. et edd. *per Bellum Fausti.*

Cap. XX.

At enim Cincius. Dresd. *At enim Sitius.* Pall. *Siccius.* Franc. prim. *At enim Cicius,* sed al. man. antiqua tamen super istam vocem adscripserat, *Al. Sitius.* Sed in eodem codice tamen in sequentibus verbis bis legitur *Cincius,* cum in Dresdensi ubique scribatur *Sitius.*

Magna ratione. MSS. quidam: *magna pecuniae ratione.* Lamb. ed. *magnae pecuniae ratione.*

Praediis deminutis. Edd. quaedam: *praediis diminutis.*

Utrum quo facilius. Pith. *virum quo facilius.*

Turbatum esset. Pith. *turbatum isset.*

Verisimile non est. Haec expunxit in editione sua Lambinus renuentibus omnibus libris.

Cap. XXI.

Iam vero, quod subiicit. Duo MSS. *Iam vero, quod obiicit.*

Hoc discidio ac dissensione. Vett. edd. *hoc dissidio et dissensione.*

Atque in omni honore. Mediolan. et editiones sequentes: *atque omni honore.*

Tutari conservareque cupiunt. Dresd. Pith. uterque Francii et ed. prim. *tutari conservarique cupiunt.*

In crimen vocantur. Dresd. et Franc. prim. *in crimine vocantur.*

De ambulatione et de suffragiis. MSS. *de ambitione et de suffragiis.*

Ac ne haec quidem. Dresd. *Ac ne hoc quidem.*

Praetereunda esse virtus. Dresdensi *esse* abest.

Reip. fortuna diiunxerit. Edd. pleraeque et multi MSS. *populi Romani fortuna diviserit.*

Demovisse. Edd. pleraeque *dimovisse.*

Cap. XXII.

Atque in hoc loco. Prim. Franc. *atque hoc loco.* Dresd. *at hoc loco.*

Prudentissimum atque ornatissimum virum. Lamb. ed. *pudentissimum atque ornatisissimum virum.*

Ut consultum esse voluerit. Pith. Dresd. *ut consul voluerit fratri.* Franc. uterque: *ut consulere voluerit fratri.*

Cum rep. pugnare. Edd. *tamen cum rep. pugnare.*

*Primum Caecilius, * qui id promulgarit.* Prim. Franc. et Dresd. *Primum Caecilius, qui id promulgare.* Lamb. ed. *Primum Caecilius, qui fratris calamitatem levare, poena legis mitiganda voluerit, laudem meretur. Deinde Caecilium, qui id promulgarit.*

Ut statueretur Sulla recte reprehendit. Lamb. ed. *ut Sulla restitueretur, Sulla recte reprehendit.* Franc. secund. et ed. prima: *ut statueret Sulla recte reprehendit.*

Potestatem perpetuandam, legis acerbitatem. Pal. sec. *perpetuam quandam legis acerbitatem.*

Cap. XXIII.

L. Caecilium protulisset. MS. *L. Caecilium propulisset.* Duo Franc. et ed. prim. *L. Caelium pertulisset.*

Ferri coepta nunquam est; posita est in senatu. MS. Erfurt. *ferri coepta nunquam est. deposita est in senatu.* Uterque Franc. *ferri coepta. nunquam est posita in senatu.* In secundo et ed. prima pro *ferri coepta* legitur *fieri coepta.*

Populum Rom. latuit. Francii sec. et ed. prima: *relaturi.* Pith. *r. lati.* Mediol. ed. *rogatio lata est.*

Mandatu Sullae. MSS. et edd. *mandato Sullae.*

Q. Metellus praetor. Uterque Franc. et Dresd. *Q. Metell. pater.*

Illam rogationem. Pith. *illam cognitionem.*

Intercessorem fore. Lamb. ed. *intercessorem se fore.*

Professus est. Pith. Dresd. uterque Franc. ed. prim. et Mediol. *perpessus est.*

Nonne omnis ille terror, omnis seditionis. Edd. *nonne omnis seditionis.* Al. *nonne omnis terror ille, omnis seditionis.*

Nobis seditionesque. Al. *vobis seditionesque.*

Hoc importunissimo. *Hoc* in Pith. non legitur.

Cap. XXIV.

Et si furores. MS. *ubi si furorem.* Al. *quia si furorem.*

Operas et manum. Pr. Franc. *operam et manum.*

Quod si ego tibi confiteor. Al. *Quod si ego tibi confitebor.*

P. Sullae persona suspicit. Franc. prim. *P. Sullae persona suscepit.*

De me aliquid ipso, qui accusatus eram. Uterque Franc. *de me aliquid de ipso, qui accusatus erat.* Edd. *de me aliquid et de ipso, qui accusatus erat.* Al. *de me aliquid et de ipso, qui accusatus est.*

Cogit animos mentesque convertere. Omnibus. Edd. et MSS. *cogit animis. Omnibus.* Al. manus primo Francii apposuerat *al.* *animus.*

Cap. XXV.

Conatum esse hominem. Al. *contaminatum esse hominem.*

Hominem usque a pueritia. Pith. *hominem a pueritia.*

Stupro, caede versatum. MS. *stupro, caede grassatum.*

Cum indicibus. Pith. *cum iudicibus.*

Aut nefarie cogitasse aut stulte sperasse miretur? Vulgg. *aut nefarie aut stulte cogitasse miretur?*

Ne sit infinitum. Prim. Franc. *ne cui sit infinitum.*

Non sua vita convincit. Al. *non sua consuetudo et vita convincit.* Al. *non sua anteacta vita convincit.* Dresd. *non sua consuetudine ac vita convincit.*

Cap. XXVI.

Cum illis vitam P. Sullae. Dresd. MS. et Mediol. ed. *cum illius vitam P. Sullae.* Edd. *cum illius vita vitam P. Sullae.*

Cuiquam paullo minus consideratum videretur. factum quaero? MSS. et edd. *cuiquam paullo minus consideratum videretur factum, quaero?* In aliis omittitur interrogandi nota; in aliis, ut in P. Manutii editione bis ponitur, post *videretur*, et post *factum quaero.* Lamb. ed. *cuiquam paullo minus considerate videretur factum.*

Quis misericordior. Sic Gruterus ex MS. Erfurtensi. In reliquis omnibus MSS. et edd. haec verba desiderantur.

Quam multorum hic vitam. In utroque Francii, Pith. Dresd. ed. prima: *multorum hic vitam.* A Dresd. etiam *hic* abest.

A natura inchoata. Franc. pr. *a natura coacta.* Sed al. manus appinxerat *al' inchoata.*

Haec diu multumque et multo. MSS. et edd. *Haec diu, multum, et multo.*

Quod videretur eius vita. Edd. *quod videtur eius vita.* Pith. *quod videretur haec vita.*

Fortuna in hoc fuit fortasse. Dresd. *fortuna etiam hoc fuit fortasse.*

Qui cum multa haberet. Edd. quaedam: *Qui dum multa.*

Cap. XXVII.

Crimen cum vita, vitam ab initio ad hoc tempus explicatam cum crimine recognoscite. MSS. et edd. *crimen cum vita usque ad hoc tempus explicata cum crimine recognoscite.* Al. *c. c. v. v. a. h. t. explicatā. tum crimen recognoscite.* quod est etiam ab aliena manu adscriptum Francii primo codici.

Non cadit, non, inquam, cadit. MSS. et edd. *Non, inquam, cadit.*

Belluae quaedam illae. Pith. *belluae quidam illae.*

Diutius haec stare potuisse. Edd. *diutius hoc imperium stare potuisse.*

Cap. XXVIII.

Fortuna deseret. Franc. sec. *fortuna deseruit.* Vulg. *fortuna deserit.* Al. *fortuna deseruerit.*

Vita P. Sullae torqueatur, ex ea. MSS. et edd. vett. omnes: *Vita P. Sullae, Torquate, ex ea.*

Cum summa elegantia vixistis atque integritate. Sic Franc. primus. Ceteri et vulgati: *cum summa elegantia atque integritate vixistis.*

Cap. XXIX.

Quid vero haec auctoritas. Lamb. ed. *Quid vero? haec auctoritas.*

Semper enim de ea dicendum est, quanquam a me timide modiceque dicetur. Haec verba non habentur in primo Francii.

Quid, inquam, haec auctoritas nostra? Lamb. ed. *quid? inquam*

haec auctoritas nostra, qui a ceteris.

Grave est hoc dictum fortasse, iudices, si appetimus. Prim. Franc. *Grave si appetimus.*

Improbo homini, at supplici. Prim. Franc. *Improbo homini atque supplici.*

Si postea cognorat. Pith. *Sed postea cognorat.*

Sin illa res prima valuit. Pal. prim. Franc. sec. ed. pr. et Gruter. *sin illa res de pecuniis repetundis prima valuit.*

Nam haec et hominum. Pith. *Sed haec et hominum.*

Attestantem memoriam omnium. Franc. sec. et ed. prima et ceterae edd. multae: *attestante memoria omnium.* Franc. prim. *attestatione memoriam omnium.* Lamb. ed. *ad testandam memoriam omnium.*

Cap. XXX.

Eorum ducem servare. MSS. et edd. *eorum ducem conservare.*

De re P. Sullae rem ullam ad me. Dresd. Franc. sec. et ed. prim. *de rep. Sullae rem ullam ad me.* Edd. quaedam, *de P. Sulla rem ullam ad me.*

Cap. XXXI.

Itaque idem ego ille. Lamb. ed. *Itaque ego idem ille*

Hanc labem tanti generis. H. Steph. et Pith. MSS. ac Lamb. ed. *hanc labem tanti sceleris.*

Id metuit, ne denique hic miser, coniurati et conscelerati proditoris filius nominetur: huic puero, qui est ei vita sua multo carior, metuit, cui honoris. MSS. et edd. omnes, excepto Erfurtensi, omissis viginti vocibus legunt, *id metuit, cui honoris.*

Quam disciplinarum. Lamb. ed. *quam scholae et disciplinarum.* Al. *quam disciplinarum et scholae.* Edd. *quam disciplinarum.*

De sepultura contenditur. Pith. *de sepultura conditur.*

Cap. XXXII.

In hac fortuna misera ac luctuosissima. Lamb. ed. *in hac fortuna miserrima ac luctuosissima.*

Quid est, quod expetas amplius. Pith. *quod expectas amplius.*

Lucis ne hanc usuram. Lamb. ed. *lucis ne huius usuram.*

Reperit novum moerorem. Plerique MSS. et edd. *repetit novum moerorem.*

Hominem calamitosum uno modo afflictum uno in luctu perire. Pith. *hominem calamitoso imo modo afflictum imo in luctu perire.*

INDICES

☞ Indices hos in gratiam meam confecit IOANNES FRIDERICUS PALM, adolescens optimus, qui in Schola nostra Nicolaitana, ex qua nunc ipsum transire in Academiam parat, per sex annos ita versatus est, ut certans semper melioribus egregiam sibi compararet antiquarum litterarum scientiam et collegis meis omnibus pariter ac mihi longe esset carissimus. Ad hanc ingenii studiorumque laudem quo maior in hoc iuvene accedit animi candor ac morum integritas, eo magis eum optimarum litterarum, quibus in posterum quoque prae caeteris operabitur, amatoribus ac patronis commendatum volo.

FROTSCHER.

INDEX SCRIPTORUM

QUI EMENDANTUR VEL ILLUSTRANTUR

INDEX RERUM ET VERBORUM

ADDENDA

Pag. 26. vs. 21. *quem obstrictum esse patriae suspicere.* Quid si legas *obstrictum esse patriae scelere?* ut sit *patriae scelus*, quod in patriam excogitatum vel admissum sit. Nam *obstringere* etc.

— 106. cap. 19. pr. *ordinarentur*, *instituerentur*, *pararentur*. Lego, *ornarentur*, *instruerentur*, *pararentur*. LAMBIN.

— 120. vs. 29. *consecuta est*. SYLV. — Imo illud genus maxime pertimescendum putabat Cicero, qui possessiones magnas habebant et ex iis nihil vendere volebant ad aes alienum expungendum. Illi enim ut possessiones suas retinerent coniurabant. GRAEV.

— 171. vs. 28. *non inveterata.* Non debuit inveterata eius animum movere, quae recens non moverat; tunc enim reo consul adfuit. MANUT.

ERRORES				CORRIGE
Pag. 10.	vs. 8.	aliquando	. . . . . .	aliquantulum
— —	— 20.	minus	. . . .	mihi
— 39.	— 26.	Flacc. II.	. . . . . .	Flacc. 11.
— 105.	— 11.	suisbconsiliis	. . .	suis consiliis
— 122.	— 5.	patronus	. . . . . .	patronos
— 131.	— 15.	sulute	. . . .	salute
— 168.	— 8.	res	. . . .	reo
— 174.	— 28.	servari	. . . .	servavi
— 204.	— ult.	praepostionem	. . .	praepositionem

TYPIS DESCRIPSIT GUIL. HAACK LIPS. TYPOGR.